CODEX APOCRYPHUS NOVI TESTAMENTI.

THE

UNCANONICAL GOSPELS

AND OTHER WRITINGS,

REFERRING TO THE FIRST AGES OF CHRISTIANITY;

IN THE ORIGINAL LANGUAGES:

COLLECTED TOGETHER FROM THE EDITIONS OF FABRICIUS, THILO, AND OTHERS;

BY THE REV. DR GILES,

LATE FELLOW OF C. C. C. OXFORD.

PART II.

LONDON;
D. NUTT, 270 STRAND:
1852.

CONTENTS OF PART II.

NOTES—*page* 619.

XIV. Epistolæ Pontii Pilati ad Tiberium, una cum epistola Lentuli.

I.

Κρατίστῳ, σεβασμίῳ, φοβερῷ, θειοτάτῳ, Αὐγούστῳ, Πιλάτος Πόντιος ὁ τὴν ἀνατολικὴν διέπων ἀρχήν.

Μηνύσαι κέχρημαι πρὸς τὴν σὴν εὐσέβειαν διὰ τῆσδέ μου τῆς γραφῆς, φόβῳ πολλῷ καὶ τρόμῳ συνεχόμενος, κράτιστε βασιλεῦ, τὴν τῶν ἐνισταμένων καιρῶν ῥοπὴν, καθὼς τὸ τούτων τέλος ὑπέδειξε. Ταύτην γὰρ διέποντός μου τὴν ἐπαρχίαν, ὦ δέσποτα, κατὰ πρόσταξιν τῆς σῆς γαληνότητος, ἥτις ἐστὶ τῶν ἀνατολικῶν πόλεων μία καλουμένη Ἱεροσόλυμα, ἐν ᾗ τὸ ἱερὸν τοῦ τῶν Ἰουδαίων ἔθνους καθίδρυται, συναχθὲν πᾶν πλῆθος Ἰουδαίων παραδεδώκασί μοι ἄνθρωπόν τινα Ἰησοῦν λεγόμενον, πολλὰ καὶ ἄπειρα ἐγκλήματα φέροντες κατ᾽ αὐτοῦ· οὐκ ἠδυνήθησαν δὲ ἔν τινι λόγῳ ἐλέγξαι αὐτόν. Μία δὲ ἦν αἵρεσις αὐτῶν κατ᾽ αὐτοῦ, ὅτι τὸ σάββατον ἔλεγε μὴ εἶναι ὀρθὴν τούτων σχολήν. Πολλὰς δὲ ἰάσεις ἐπετέλεσεν ἐπ᾽ ἀγαθοῖς ἔργοις ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος· τυφλοὺς ἐποίησε βλέπειν, λεπροὺς ἐκαθάρισε, νεκροὺς ἤγειρε, παραλυτικοὺς ἰάσατο, μὴ δυναμένους τὸ σύνολον κινεῖσθαι, εἰ μὴ μόνον ἔχοντας φωνὴν καὶ τὴν τῶν ὀστέων ἁρμονίαν, καὶ πάρεσχεν αὐτοῖς δύναμιν τοῦ περιπατεῖν τε καὶ τρέχειν, ῥήματι μόνῳ ἐπιτρέψας. Ἄλλο τε δυνατώτερον πρᾶγμα ἐποίησεν, ὅπερ ἦν ξένον καὶ παρὰ τοῖς θεοῖς ἡμῶν· νεκρόν τινα Λάζαρον τετραήμερον ἐκ νεκρῶν ἀνέστησε, λόγῳ μόνῳ κελεύσας ἐγερθῆναι τὸν τεθνηκότα, διεφθαρμένον ἤδη ἔχοντα τὸ σῶμα ὑπὸ τῶν ἑλκογενήτων σκωλήκων, καὶ

τὸ δυσῶδες ἐκεῖνο σῶμα τὸ κείμενον ἐν τῷ τάφῳ ἐκέλευσε τρέχειν· καὶ ὡς ἐκ παστοῦ νυμφίος, οὗτος ἐκ τοῦ τάφου ἐξῆλθεν εὐωδίας πλείστης πεπληρωμένος. Καί τινας ἀφειδῶς δαιμονιζομένους καὶ τὰς οἰκήσεις ἐν ἐρημίαις ἔχοντας καὶ σαρκοφαγοῦντας τῶν ἰδίων μελῶν καὶ τοῖς ἑρπετοῖς καὶ τοῖς ἀγρίοις θηρίοις συναναστρεφομένους οἰκήτορας κατέστησεν [ὡσεὶ] πόλεων ἐν τοῖς ἰδίοις οἴκοις, καὶ διὰ λόγου σώφρονας ὑπέδειξεν αὐτοὺς, καὶ συνετοὺς, καὶ ἐνδόξους γενέσθαι παρεσκεύασε τοὺς ὑπὸ ἀκαθάρτων πνευμάτων ἐνοχλουμένους, καὶ τοὺς ἐν αὐτοῖς δαίμονας ἐν ἀγέλῃ χοίρων ἐκπέμψας εἰς θάλασσαν ἀπέπνιξεν. Ἄλλον πάλιν τινὰ ξηρὰν ἔχοντα χεῖρα, τὸν [πόθοντα] βίον ἐν λύπῃ κεκτημένον καὶ μηδὲ ἥμισυ σώματος ἔχοντα ὑγιὲς, λόγῳ μόνῳ παρέστησεν ὑγιῆ. Καὶ γυναῖκα αἱμοῤῥοοῦσαν ἐπὶ χρόνοις πολλοῖς, ὡς ἐξ αὐτῆς τῆς ῥύσεως τοῦ αἵματος πᾶσαν τὴν τῶν ὀστέων ἁρμονίαν φαίνεσθαι, καὶ [μήτε ὅμοιον ἀνθρωπίνης φύσεως τὸ σῶμα ἐπιφερομένην, ἀλλὰ] ὑέλου δίκην διαυγάζειν, [καὶ ὡς νεκρὰν ἀποκειμένην ἀπὸ αἵματος ῥύσεως·] καὶ γὰρ πάντες ἰατροὶ ἀνελπίστως αὐτὴν ἀπειπάμενοι οὐκ ἐθεώρουν, οὐκ ἦν γὰρ ἐν αὐτῇ δήπου τις σωτηρίας ἐλπίς· τότε γ' οὖν παρερχομένου τοῦ Ἰησοῦ ἰσχὺν λαβοῦσα διὰ τῆς ἐπισκιάσεως αὐτοῦ ἥψατο ὄπισθεν τοῦ κρασπέδου τῶν ἱματίων αὐτοῦ, καὶ αὐτῇ τῇ ὥρᾳ ἀνεπληρώθη ἡ δύναμις τοῦ σώματος αὐτῆς, καὶ γέγονεν ὑγιὴς ὡς μηδὲν κακὸν ἔχουσα, καὶ ἤρξατο δρομαίως τρέχειν εἰς τὴν αὐτῆς πόλιν Πανεάδα. Καὶ ταῦτα μὲν οὕτως εἶχον. Κατεμήνυον δὲ οἱ Ἰουδαῖοι ἐκτελεῖν ταῦτα τῷ σαββάτῳ τὸν Ἰησοῦν. Ἐγὼ δὲ καὶ παρὰ τοὺς θεοὺς, οὓς σεβόμεθα, μείζονα κατενόησα θαυμάσια παρ' αὐτοῦ γεγονότα. Τοῦτον οὖν Ἡρώδης καὶ Ἀρχέλαος καὶ Φίλιππος καὶ Ἄννας καὶ Καϊάφας παραδεδώκασί μοι σὺν παντὶ τῷ λαῷ πρὸς τὸ ἐτάσαι αὐτὸν, πολλὴν στάσιν κινήσαντες κατ' ἐμοῦ περὶ ὧν κατηγόρουν αὐτοῦ. Ἐν πρώτοις δὲ φραγελλώσας αὐτὸν οὐδεμίαν εὗρον αἰτίαν περὶ ὧν ἔλεγον κατ' αὐτοῦ. Λοιπὸν οὖν παρέδωκα τοῦτον πάλιν αὐτοῖς, ὃν καὶ σταυρώσαντες, σκότος ἐγένετο

ἐφ' ὅλην τὴν οἰκουμένην, τοῦ ἡλίου κρυβέντος τελείου καὶ τοῦ πόλου σκοτεινοῦ φαινομένου ἡμέρας οὔσης, ὥστε ἄστρα [μὴ] φανῆναι, ἀλλ' ὅμως τὴν τηλαυγότητα ἐσκοτισμένην ἐχούσης, ὡς οὐδὲ ὑμετέρα εὐσέβεια, οἶμαι, ἀγνοεῖ, ὅτι ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ ἧψαν λύχνους ἀπὸ ἕκτης ὥρας ἕως ὀψίας. Ἡ σελήνη δὲ ὡς αἷμα οὖσα ὅλην τὴν νύκτα οὐ διέλιπε, καίτοιγε παμπληθοῦς αὐτῆς τυγχανούσης. Καὶ ὅλος ὁ κόσμος ἐσαλεύετο ὑπὸ ἀνεκδιηγήτων σημείων, καὶ ἔμελλε πᾶσα ἡ κτίσις ὑπὸ τῶν καταχθονίων καταπίνεσθαι· ὡσαύτως δὲ καὶ ὅπερ εἶχον ἁγίασμα τοῦ ναοῦ αὐτῶν σχισθῆναι ἀπὸ ἄνωθεν ἕως κάτω. Βροντὴ δὲ πάλιν καὶ ἦχος μέγας ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐγένετο, ὥστε πᾶσαν τὴν γῆν [ἡμῶν] σαλευθῆναι καὶ τρέμειν. Ὤφθησαν δὲ ἐν αὐτῷ τῷ φόβῳ νεκροὶ ἀναστάντες, ὡς αὐτοὶ ἑωρακότες οἱ Ἰουδαῖοι εἶπον· ὅτι, “Εἴδομεν Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ καὶ τοὺς δώδεκα Πατριάρχας τοὺς προτετελευτηκότας [μετὰ Μωσέα] πρὸ δισχιλίων πεντακοσίων ἐτῶν, καὶ ἑτέρους πολλούς· καὶ Νῶε εἴδομεν ἐν σώματι φανερῶς.” Τὰ δὲ ἄστρα καὶ ὁ Ὠρίων θρήνους ἐποίουν ὑπὲρ τῶν Ἰουδαίων διὰ τὴν παρ' αὐτῶν γενομένην παρανομίαν. Μετὰ δὲ τὸ σάββατον περὶ τρίτην ὥραν τῆς νυκτὸς ὁ ἥλιος ὤφθη, οἷος οὐδέποτε [ὤφθη, οὐδὲ οὐδέποτε οὕτως] ἔλαμψε, καὶ πᾶς ὁ οὐρανὸς ἐφαιδρύνθη. Καὶ ὡς ἀστραπαὶ χειμόνος ἐπέρχονται, οὕτως ἄνδρες ὑψηλοί τινες κοσμήσεως στολῆς καὶ δόξης ἀνεκδιηγήτου ὑπαρχοντες ἐφαίνοντο ἐν τῷ ἀέρι, καὶ πλῆθος ἀναρίθμητον ἀγγέλων κραζόντων, “Ὁ σταυρωθεὶς Χριστὸς ἀνέστη θεὸς ὤν.” Καὶ φωνὴ ἠκούετο ὥσπερ μέγεθος βροντῶν λέγουσα, “Δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία· ἀνέλθατε οἱ ἐξ ᾅδου, οἱ δεδουλωμένοι ἐν τοῖς καταχθονίοις τοῦ ᾅδου.” Ἐκ δὲ τῆς φωνῆς αὐτῶν πάντα τὰ ὄρη καὶ οἱ βουνοὶ ἐσαλεύοντο, καὶ πέτραι διεῤῥήγνυντο, καὶ χάσματα ἐγένοντο μεγάλα ἐν τῇ γῇ, ὥστε καὶ τὰ τῆς ἀβύσσου φανῆναι· καὶ πολλὰ σώματα τῶν κεκοιμημένων νεκρῶν ἐξανέστησαν, ἄχρι πεντακοσίων. Καὶ περιεπάτει πᾶν πλῆθος καὶ ἀνύμνει τὸν θεὸν μετὰ φωνῆς μεγάλης λέγον, “Ὁ ἀναστὰς ἐκ

τῶν νεκρῶν κύριος ὁ θεὸς ἡμῶν πάντας τοὺς νεκροὺς ἡμῶν ἐζωοποίησε, καὶ τὸν ᾅδην συλήσας ἐνέκρωσε." Πᾶσαν οὖν τὴν νύκτα ἐκείνην, ὦ δέσποτα βασιλεῦ, τὸ φῶς οὐκ ἐπαύετο. Τῶν δὲ Ἰουδαίων πολλοὶ ἀπέθανον καὶ κατεποντίσθησαν καὶ κατεπόθησαν τοῖς χάσμασιν ἐν τῇ νυκτὶ ἐκείνῃ, ὥστε μηδὲ τὰ σώματα αὐτῶν φανῆναι· ἐκείνους δὲ λέγω, δέσποτα, μὴ φανῆναι τῶν Ἰουδαίων τοὺς κατὰ τοῦ Ἰησοῦ λέγοντας· [ὥστε δοκεῖν με φαντασίαν τινὰ θεωρεῖν ἐκ νεκρῶν ἀρχαίων τοὺς πολλούς, οὓς οὐδέποτε ἡμεῖς ἐθεασάμεθα.] Μία δέ τις συναγωγὴ κατελείφθη ἐν Ἱεροσολύμοις, ἐπεὶ πᾶσαι αἱ συναγωγαὶ ἐκεῖναι αἱ γενόμεναι κατὰ τοῦ Ἰησοῦ κατεποντίσθησαν. Τῷ γ' οὖν φόβῳ ἐν ἐκστάσει γενόμενος καὶ πολλῷ τρόμῳ συσχεθεὶς κατὰ ταύτην τὴν ὥραν ἐπιτάξας γράψαι τὰ πραχθέντα παρ' αὐτῶν πάντων ἀνήγαγον τῷ σῷ κράτει.

2.

Φθασάντων δὲ τῶν γραμμάτων ἐν Ῥώμῃ καὶ ἀναγνωσθέντων ἅπαντες ἔκθαμβοι ἐγένοντο, ὅτι διὰ τὴν τοῦ Πιλάτου παρανομίαν τὸ σκότος καὶ ὁ σεισμὸς ἐγένετο ἐφ' ὅλην τὴν οἰκουμένην. Καὶ θυμοῦ πλησθεὶς ὁ Καῖσαρ ἐκπέμψας στρατιώτας ἐκέλευσε δέσμιον ἀγαγεῖν τὸν Πιλάτον.

ΠΑΡΑΔΟΣΙΣ ΠΙΛΑΤΟΥ.

Καὶ ἀχθέντος αὐτοῦ ἐν τῇ Ῥωμαίων πόλει ἀκούσας ὁ Καῖσαρ, ὅτι παρέστη ὁ Πιλάτος, ἐκάθισεν ἐν τῷ ναῷ τῶν θεῶν ἐπὶ πάσης τῆς συγκλήτου καὶ σὺν παντὶ τῷ στρατεύματι καὶ παντὶ τῷ πλήθει τῆς δυνάμεως αὐτοῦ. Καὶ ἐκέλευσεν ἐν προόδῳ στῆναι τὸν Πιλάτον, καί φησιν ὁ Καῖσαρ πρὸς αὐτόν, "Τί τοιαῦτα ἐτόλμησας, δυσσεβέστατε, εἰς τὸν ἄνδρα ἐκεῖνον, ἑωρακὼς τηλικαῦτα σημεῖα παρ' αὐτοῦ; κακὴν πρᾶξιν τολμήσας ὅλον τὸν κόσμον διὰ τῆς σῆς παρανομίας ὤλεσας." Ὁ δὲ Πιλάτος ἔφη, "Αὐτόκρατορ βασιλεῦ, ἐγὼ ἀναίτιος τούτου τυγχάνω, οἱ δὲ προπετεῖς καὶ οἱ αἴτιοι τὸ πλῆθος τῶν Ἰουδαίων εἰσί." Καὶ ὁ Καῖσαρ ἔφη, "Καὶ τίνες οὗτοι;" Λέγει ὁ Πιλάτος, "Ἡρώδης καὶ Ἀρχέλαος καὶ Φίλιππος, Ἄννας καὶ Καϊάφας καὶ ἅπαν τὸ πλῆθος αὐτῶν."

Λέγει αὐτῷ ὁ Καῖσαρ "Τίνος ἕνεκεν τῇ βουλῇ ἐκείνων ἐξηκολούθησας;" Καὶ ὁ Πιλάτος ἔφη, "Στασιαστὸν καὶ ἀνυπότακτόν ἐστι τὸ ἔθνος αὐτῶν, μὴ ὑποτασσόμενον τῷ σῷ κράτει." Καὶ ὁ Καῖσαρ εἶπεν, "Ἅμα παρέδωκάν σοι αὐτὸν, ὤφειλες ἐν ἀσφαλείᾳ ποιῆσαι αὐτὸν καὶ ἐκπέμψαι πρὸς μὲ, καὶ μὴ πεισθῆναι αὐτοῖς καὶ σταυρῶσαι τὸν τοιοῦτον ἄνδρα δίκαιον ὄντα καὶ τοιαῦτα σημεῖα ἀγαθὰ ποιήσαντα, ἃ σὺ εἶπας διὰ τῆς σῆς ἀναφορᾶς· ἐκ γὰρ τῶν τοιούτων σημείων φανερὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς, ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων." Καὶ ταῦτα λέγοντος τοῦ Καίσαρος καὶ ὀνομασάντος αὐτοῦ τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ, ἅπαν τὸ πλῆθος τῶν εἰδώλων τῶν θεῶν συνέπεσε, καὶ ἐγένετο ὡσεὶ κονιορτός· καὶ ὁ τόπος [δὲ] συνέπεσε, ἔνθα ἐκαθέζετο ὁ Καῖσαρ μετὰ πάσης τῆς συγκλήτου αὐτοῦ. Ὁ δὲ δῆμος ὁ παρεστηκὼς τῷ Καίσαρι καὶ πάντες οἱ τῆς συγκλήτου αὐτοῦ ἅμα τῷ Καίσαρι ἔντρομοι γεγόνασι διὰ τὴν τοῦ ῥήματος ῥῆσιν καὶ (τὴν) πτῶσιν τῶν θεῶν αὐτῶν, καὶ πάντες φόβῳ συσχεθέντες ἀπῆλθον ἕκαστος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, θαυμάζοντες τὸ γεγονός. Καὶ ἐκέλευσεν ὁ Καῖσαρ μετὰ ἀσφαλείας φυλάττειν τὸν Πιλάτον, ὅπως γνῷ τὸ ἀληθὲς περὶ τοῦ Ἰησοῦ. Τῇ δὲ ἐπαύριον καθίσας ὁ Καῖσαρ ἐν τῷ καπιτωλίῳ, μετὰ πάσης τῆς συγκλήτου ἐπειρᾶτο πάλιν ἐπερωτᾶν τὸν Πιλάτον, καί φησιν ὁ Καῖσαρ, "Λέγε τὸ ἀληθὲς, δυσσεβέστατε, ὅτι διὰ τῆς σῆς ἀσεβοῦς πράξεως, ἧς ἐπεχείρησας κατὰ τοῦ Ἰησοῦ, καὶ ἐνταῦθα ἐδείχθη τῶν κακῶν σου ἐργων ἡ πρᾶξις, τὸ τοὺς θεοὺς πτώσει ὑποβληθῆναι. Λέγε οὖν, τίς ἐστιν ἐκεῖνος ὁ σταυρωθεὶς, ὅτι τὸ ὄνομα αὐτοῦ καὶ τοὺς θεοὺς ἀπώλεσεν." Ὁ Πιλάτος ἔφη, "Καὶ μὴν τὰ ὑπομνήματα αὐτοῦ ἀληθῆ ἐστι· καὶ γὰρ ἐγὼ αὐτὸς ἐξ αὐτῶν τῶν ἔργων ἐπείσθην, ὅτι μείζων ὑπῆρχε πάντων ὧν σεβόμεθα θεῶν." Καὶ ὁ Καῖσαρ ἔφη, "Τίνος οὖν ἕνεκεν τοιαύτην τόλμαν καὶ πρᾶξιν ἐπήνεγκας κατ᾽ αὐτοῦ, μὴ ἀγνοῶν τοῦτο; ἢ πάντως κακόν τι βουλόμενος περὶ τῆς ἐμῆς βασιλείας." Ὁ δὲ Πιλάτος ἔφη, "Διὰ τὴν παρανομίαν καὶ στάσιν τῶν ἀνόμων καὶ ἀθέων Ἰουδαίων τοῦτο ἐποίησα. Θυμοῦ δὲ πλησθεὶς ὁ Καῖσαρ συμβούλιον ἐποίησε

μετὰ πάσης τῆς συγκλήτου καὶ τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, καὶ κελεύει δόγμα γραφῆναι κατὰ τῶν Ἰουδαίων οὕτως·

"Λικιάνῳ τῷ τὰ πρῶτα τῆς ἀνατολικῆς χώρας ἐπέχοντι χαίρειν.

Τὴν ἐν τοῖς παροῦσι καιροῖς γενομένην τόλμαν παρὰ τῶν τὴν Ἱερουσαλὴμ διοικούντων Ἰουδαίων [παράνομον πρᾶξιν] ἔγνων, ὡς θεόν τινα λεγόμενον Ἰησοῦν Πιλάτον κατηνάγκασαν σταυρῶσαι, διὰ τοιούτων πλημμελημάτων, δι' ὧν ὁ κόσμος σκοτισθεὶς εἰς ἀπώλειαν εἵλκετο. Θέλησον οὖν σπουδαίως ἅμα πλήθους στρατιωτῶν παραγενέσθαι τοῖς ἐκεῖσε, καὶ αἰχμαλωτίσαι διὰ τούτου τοῦ δόγματος πάντας αὐτούς. Πειθαρχῶν οὖν τῷ δόγματι ἡμῶν κίνησον κατ' αὐτῶν, καὶ τῆς Ἰουδαίας ἐκδίωξον αὐτοὺς, καὶ ὀλιγοστὸν τὸ ἔθνος αὐτῶν δεῖξον ἐφ' ἅπασι μὴ ὀφθῆναι (ἐν ἀνέσει,) ἐπειδὴ πονηρίας μεστοὶ τυγχάνουσι."

Καὶ τοῦ δόγματος τούτου φθάσαντος ἐν τῇ ἀνατολικῇ χώρᾳ Λικιάνος πειθαρχήσας τῷ φόβῳ τοῦ δόγματος ἀνάλωσιν παντὸς ἔθνους τῶν Ἰουδαίων ἐποίησε· τοὺς δὲ καταλειφθέντας εἰς τὴν διασπορὰν τῶν ἔθνων δουλεύειν παρέσχεν· ὥστε γνωσθῆναι τῷ Καίσαρι ταῦτα τὰ γεγεννημένα παρὰ Λικιάνου κατὰ τῶν Ἰουδαίων ἐν τῇ ἀνατολικῇ χώρᾳ καὶ ἀρέσαι αὐτῷ. Καὶ πάλιν ἔθετο ὁ Καῖσαρ ἐρώτησιν ποιῆσαι τοῦ Πιλάτου, καὶ κελεύει ἑνὶ ἄρχοντι ὀνόματι Ἀλβίῳ τὴν κεφαλὴν τοῦ Πιλάτου ἀποτεμεῖν, φήσας, "Καθὼς οὗτος ἐπὶ τὸν ἄνδρα τὸν δίκαιον τὸν λεγόμενον Χριστὸν, χεῖρας ἐπήγαγε, καὶ αὐτὸς ὁμοίως πεσεῖται τῆς σωτηρίας ἀποτευξόμενος." Ὁ δὲ Πιλάτος ἀπελθὼν ἐπὶ τὸν τόπον ηὔξατο σιωπῇ λέγων, "Κύριε, μὴ ἀπολέσῃς με μετὰ τῶν πονηρῶν Ἑβραίων, ὅτι ἐγὼ κατὰ σοῦ χεῖρας ἐπενέγκαι οὐκ ἤθελον εἰ μὴ διὰ τὸ ἔθνος τῶν παρανόμων Ἰουδαίων, ὅτι στάσιν κατ' ἐμοῦ ἐπήγαγον. Ἀλλὰ σὺ γινώσκεις, δέσποτα, ὅτι ἀγνοῶν ἔπραξα. Μὴ οὖν ἀπολέσῃς με, δέσποτα κύριε, (διὰ) τὴν ἁμαρτίαν μου ταύτην, ἀλλὰ ἐλέησόν με καὶ τὴν δούλην σου Πρόκλαν τὴν ἱσταμένην μετ' ἐμοῦ ἐν τῇ ὥρᾳ τοῦ θανάτου μου, ἣν ἀνέδειξας προφητεῦσαι, ὅτι εἶχες σταυρῷ προσηλωθῆναι· μὴ ἐν τῇ

ἐμῇ ἁμαρτίᾳ καὶ ταύτην καταδικάσῃς, ἀλλὰ συγχώρησον ἡμῖν, καὶ ἐν μερίδι τῶν δικαίων σου συναρίθμησον ἡμᾶς." Καὶ ἰδοὺ τελειώσαντος τὴν εὐχὴν τοῦ Πιλάτου ἦλθε φωνὴ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ λέγουσα, "Μακαριοῦσί σε, Πιλάτε, πᾶσαι αἱ γενεαί, ὅτι ὑπὸ σοῦ ἐπληρώθη ταῦτα πάντα τὰ ὑπὸ τῶν προφητῶν εἰρημένα περὶ ἐμοῦ, καὶ σὺ δὲ αὐτὸς μάρτυς ἔσῃ· ἐν γὰρ τῇ δευτέρᾳ μου παρουσίᾳ ὀφθῆναι ἔχεις, ὅταν μέλλω κρίναι τὰς δώδεκα φυλὰς τοῦ Ἰσραὴλ καὶ τοὺς μὴ ὁμολογήσαντας καὶ πιστεύσαντας." Καὶ ἐξετίναξε τὴν κεφαλὴν Πιλάτου πρέφεκτος, καὶ ἰδοὺ ἄγγελος κυρίου ἐδέξατο αὐτήν. Ἰδοῦσα δὲ ἡ γυνὴ αὐτοῦ Πρόκλα τὸν ἄγγελον ἐρχόμενον καὶ δεχόμενον τήν κεφαλὴν αὐτου χαρᾶς πλησθεῖσα καὶ αὐτὴ παραυτὰ ἀπέδωκε τὸ πνεῦμα αὐτῆς, καὶ ἐτάφη μετὰ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς Πιλάτου, θελήσει καὶ εὐδοκίᾳ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

3.

Pontius Pilatus Claudio salutem.

Nuper accidit et quod ipse probavi, Judæos per invidiam se suosque posteros crudeli condemnatione punîsse. De quo quum promissum haberent patres eorum quod illis Deus eorum mitteret de cœlo sanctum suum qui eorum rex merito diceretur, et hunc se promiserit per virginem missurum ad terras, istum itaque me præside in Judæam Deus Hebræorum quum misisset, et vidissent eum Hebræi cœcos illuminâsse, leprosos mundâsse, paralyticos curâsse, dæmones ab hominibus fugâsse, mortuos etiam suscitâsse, imperâsse ventis, ambulâsse siccis pedibus super undas maris, et multa alia signa miraculorum fecisse, et quum multi de populo Judæorum eum filium Dei esse dicerent, invidiam contra eum passi suut principes sacerdotum, scribæ et Pharisæi

Judæorum, et tenuerunt eum mihique tradiderunt, et alia pro aliis mihi de eo mentientes dixerunt, asserentes istum magum esse et contra legem eorum agere. Ego autem verbis eorum credidi ita esse, et flagellatum tradidi illum arbitrio eorum. Illi autem crucifixerunt eum et sepulto custodes adhibuerunt. Ille autem militibus meis monumentum ejus custodientibus die tertio resurrexit: in tantum autem exarsit nequitia Judæorum ut darent pecuniam custodibus et dicerent, "Dicite quia discipuli ejus corpus ipsius per noctem furati sunt." Milites autem mei quum accepissent pecuniam, quod factum fuerat tacere non potuerunt. Nam et illum de sepulcro resurrexisse testati sunt se vidisse, et se a Judæis pecuniam accepisse. Hæc ideo ingessi, ne quis aliter mentiatur, et æstimet credendum mendaciis Judæorum. Direxi potestati vestræ omnia, quæ gesta sunt de Jesu in prætorio meo.

4.

Pilatus Tiberio Cæsari salutem.

De Jesu Christo quem tibi plane postremis meis declaraveram, nutu tandem populi, acerbum, me quasi invito et subticente, supplicium sumptum est. Virum hercle ita pium ac sincerum nulla unquam ætas habuit, nec habitura est. Sed mirus extitit ipsius populi conatus omniumque scribarum et principum ac seniorum consensus, suis prophetis more nostro Sibyllis præmonentibus, hunc veritatis legatum crucifixere, signis etiam supra naturam apparentibus, dum penderet, et orbi universo Philosophorum judicio lapsum minantibus. Vigent illius discipuli, opere et vitæ continentia magistrum non mentientes, imo in ejus nomine beneficentissimi. Nisi ego seditionem populi prope æstuantis pertimuissem,

fortasse adhuc nobis ille vir viveret. Etsi tuæ magis dignitatis fide compulsus, quam voluntate mea adductus pro viribus non restiterim, sanguinem justum totius accusationis immunem, verum hominum malignitate inique in eorum tamen (ut Scripturæ interpretantur) exitium pati et venundari. Vale. Quarto Nonas Aprilis.

5.

Hoc tempore in hoc territorio vir quidam fuit quem discipuli ejus Deum vocabant, et miracula varia faciebat: quem multi homines viderunt, et in cœlum vivus adscendit, et discipuli nunc magna faciunt in nomine ejus, et testantur eum Deum esse, et doctorem viæ salutis in veritate.

6. Lentuli Epistola.

Hoc tempore vir apparuit, et adhuc vivit, vir præditus potentia magna; nomen ejus Jesus Christus. Homines eum Prophetam potentem dicunt. Discipuli ejus filium Dei vocant. Mortuos vivificat, et ægros ab omnis generis ægritudinibus et morbis sanat. Vir est altæ staturæ proportionate, et conspectus vultus ejus cum severitate, et plenus efficacia, ut spectatores amare eum possint, et rursus timere. Pili capitis ejus vinei coloris usque ad fundamentum aurium, sine radiatione, et erecti, et a fundamento aurium usque ad humeros contorti ac lucidi, et ab humeris deorsum pendentes, bifido vertice dispositi in morem Nazaræorum. Frons plana et pura, facies ejus sine macula, quam rubor quidam temperatus ornat. Aspectus ejus ingenuus et gratus. Nasus et os ejus nullo modo reprehensibilia. Barba ejus multa, et colore pilorum capitis bifurcata: oculi ejus cœrulei et extreme lucidi. In

reprehendendo et objurgando formidabilis, in docendo et exhortando, blandæ linguæ et amabilis. Gratia miranda vultus, cum gravitate. Vel semel eum ridentem nemo vidit, sed flentem imo. Protracta statura corporis, manus ejus rectæ et erectæ, brachia ejus delectabilia. In loquendo ponderans et gravis, et parcus loquela. Pulcherrimus vultu inter homines satos.

XV.

MELLITUS DE PASSIONE

S. JOANNIS EVANGELISTÆ.

Mellitus servus Christi episcopus Laudociæ, universis episcopis, et ecclesiis Catholicorum in Domino æternam salutem. Volo solicitam esse fraternitatem vestram de *Leucio* quodam, qui scripsit apostolorum acta Joannis Evangelistæ, et Sancti Andreæ, vel Thomæ Apostoli. Quædam de virtutibus quidem quæ per eos Dominus fecit, vera dixit; de doctrina vero multa mentitus est. Dixit enim docuisse eos duo principia, quod execratur Ecclesia Christi; quum ipse S. Joannes apostolus in capite evangelii sui unum testetur principium, in quo semper fuerit verbum, a quo universa creata sunt visibilia, et invisibilia. Leucius autem dicit eos docuisse duo principia boni, et mali, et bona a bono, mala vero a malo principe substitisse, quum constet malum nihil esse substantiale, et penitus nullam creaturam, neque visibilem, neque invisibilem, quæ possit mala intelligi per naturam; sive angelus malus, sive homo malus, a Domino bonus factus est, et ideo malus, quia contra creatoris sui voluntatem præsumpsit; nam et angeli, et homines qui mali esse noscuntur, a justo Deo damnantur. Justus autem injustitiam ponit, quam non oriendo

angeli, vel homines, sed injuste agendo incurrisse noscuntur; prohibita enim a Domino servus si perpetraverit, et jussa non fecerit, juste puniendum se esse cognoscit, quodque quum se ipsum pro sua præsumptione humiliaverit, et ex toto corde dixerit, Peccavi tibi Domine, miserere mei, subvenit ei pietas Domini, et qui per justitiam justi judicis puniendus extiterat, per misericordiam ad indulgentiam revocatur. Ergo ut vere te peccatorem ostendas, Deum creatorem honora; honoras autem creatorem, si te solum culpaveris, quum delinquis, et non adscripseris Creatori quum peccas; ut ex omni parte tua præsumptionem arguas, non tui queraris opera conditoris. Si enim vere te negligentem accusaveris delinquentem, ad veram poteris indulgentiam pervenire. Hæc Leucii causa memoraverim, qui mendacio plenus apostolos Domini asseruit docuisse, duo principia hominis extitisse, ut animam a bono Deo editam, carnem a malo, et necessitate carnis animam involvi peccatis. Quod si ita esset, qui non peccat omnino non viveret; sic qui non manducat, aut non bibit, aut non digerit, aut non dormit, sine dubio vivere non potest. Ita et qui non fornicatur, aut qui non videt, aut qui non furatur, aut qui non aliquid crimen admittit, non posse vivere monstraretur. At vero quum doceatur homo sine fornicatione vivere, qui sine victu, et vestitu, vivere non potest, constat eum ita conditum a bono Creatore, ut sine criminibus viveret, quum absque alimoniis non possit omnino constare. Denique clausum carcere, tentum in vinculis, deportatum exilio, absque criminibus vivere posse cognoscimus, quum absque cibo, et potu, et digestione, et somno non posse vivere comprobetur.

His agnitis ad beati Joannis Evangelistæ actus

flectamus articulum, et ad Dominum de hac luce qualiter migravit explicemus.

Secundam post Neronem persequutionem Christianorum Domitianus exercuit, unde factum est ut Sanctus Joannes Apostolus tolleretur de Epheso, et in Pathmos Insulam in exilium mitteretur, in qua insula Apocalipsim, quam ei Dominus revelavit, manu sua conscripsit. Domitianus autem eodem anno quo jussit Sanctum Joannem exiliari, a Senatu Romano interfectus est, et quoniam Deo cura fuit de Apostolo suo, ex totius Senatus consulto hoc definitum est, ut quicquid Domitianus fieri voluit, cassaretur. Hinc factum est, ut Sanctus Joannes, qui voluntate Domitiani exilio cum injuria fuerat deportatus, cum honore ad Ephesum remearet. Occurrit autem illi omnis populus virorum, ac mulierum, omnes exultantes, et dicentes, *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Quum autem ingrederetur civitatem, Drusiana, quæ semper sequuta eum fuerat, et adventus ejus desiderio fuerat fatigata, efferebatur. Tunc sanctus Joannes videns flentes pauperes, et parentes, ac viduas simul cum orphanis clamantes, et dicentes, "Sancte Joannes Apostole, ecce Drusianam efferimus, quæ sanctis monitis tuis obtemperans nos omnes alebat serviens Domino in castitate, et humilitate, et quotidie desiderabat reditum tuum dicens, Ecce videam apostolum Domini oculis meis antequam moriar. Ecce tu venisti, et te videre non potuit." .. "Dominus Jesus Christus excitat te. Drusiana, surge, et pedibus tuis revertere ad domum tuam, et præpara mihi refectionem." Ad hanc vocem surrexit, et cœpit ire sollicita de jussione apostoli, ita ut videretur ipsi Drusianæ quia non de morte, sed de somno excitâsset eam. Factus est autem clamor populi per tres horas dicentes,

"Unus est Deus, quem prædicat Joannes, unus est Dominus Jesus Christus." Altera autem die Craton Philosophus in foro proposuerat de contemptu mundi spectaculum, ut duo juvenes fratres ditissimi, quos fecerat distracto patrimonio suo gemmas emere singulas, quas in conspectu omnis frangerent populi. Quod quum facerent pueri, contigit transitum habere apostolum, et convocans ad se Cratonem philosophum ait, "Stultus est iste mundi contemptus, qui hominum ore laudatur, sed condemnatur divino judicio. Sicut vana medicina est, ex qua non absciditur morbus, ita vana doctrina est, ex qua non vitia curantur animorum, et morum." Magister itaque meus juvenem cupientem ad vitam æternam attingere his verbis instruxit, quibus diceret, ut si vellet perfectus esse, venderet omnia sua, et daret pauperibus; quo facto thesaurum in cœlo acquireret, et vitam æternam, quæ finem non habet, inveniret." Craton dixit, "Humanæ cupiditatis fluctus in medio positus est, sed si vere Deus magister tuus, et vult hoc fieri, ut pauperibus erogetur census pretii harum duarum gemmarum, fac eas redintegrari, ut quod ego feci ad famam hominum, tu facias ad gloriam ejus fieri, quem tuum magistrum esse commemoras."

Tunc beatus Joannes colligens fragmenta gemmarum ponens in manu sua elevavit oculos suos ad cœlum, et ait, "Domine Jesu Christe, cui nihil impossibile est, qui fractum mundum per lignum crucis tuæ in tuis fidelibus restaurâsti, qui nato cœco oculos, quod natura negaverat, reddidisti, qui mortuum Lazarum et sepultum, post quartum diem ad superos revocâsti, et omnes morbos, omnemque ægritudinem virtutis tuæ verbo curâsti; adesto nunc super istos lapides pretiosos, quos ignorantes fruct-

um eleemosynæ ad plausum hominum confregerunt, tu Domine per manus angelorum tuorum modo recupera, ut pretio eorum misericordiæ usus expletus, faciat tibi credentes pervenire ad tuum imperium, qui cum Patre vivis et cum Spiritu Sancto, et regnas in sæcula sæculorum;" Quumque respondissent fideles, qui cum apostolo erant, et dixissent, Amen, ita sunt solidata fragmenta gemmarum, ut nec signum aliquod de eo quod fractum fuerat, remaneret. Tunc philosophus Craton, simul cum his juvenibus, et cum universis discipulis suis pedibus ejus devolutus credidit, et baptizatus est cum omnibus, et cœpit fidem Domini Jesu Christi publice prædicare. Tunc duo illi fratres venundantes omnia, quæ habere poterant, et dantes universa egentibus, sequebantur Apostolum per civitates verbum Domini prædicantem.

Contigit autem ut intrantes urbem Pergamum, viderent servos suos sericis indutos vestibus procedentes, et gloria sæculari fulgentes; et hinc factum est, ut sagitta diaboli perculsi tristes efficerentur, quod se in uno pallio viderent egentes, servos vero suos potentissimos, atque fulgentes. Sed hos dolos diaboli intelligens Apostolus ait, "Video vos, et animos vestros mutâsse, et vultus propter hoc quod doctrinam Domini Jesu Christi sequuti, omnia quæ habere potuistis pauperibus contulistis. Unde si vultis recuperare quæ in auro, et argento, et lapidibus pretiosis habuistis, deferte mihi lapides minutos a littore maris." Quod quum fecissent, invocata Trinitate Domini conversæ sunt in gemmas. Item dixit eis, "Deferte mihi virgas rectas in singulis fascibus;" quod quum fecissent, invocata Trinitate Domini conversæ sunt in aurum. Tunc dicit eis Sanctus Apostolus, "Per septem dies ite per

aurifices, et gemmarios, et dum probaveritis verum aurum et veras gemmas, nunciate mihi." Euntes autem ambo post septem dies reversi sunt ad Apostolum dicentes, "Domine, omnes officinas circumivimus, et omnes dixerunt." Tunc dicit eis S. Joannes, "Ite et redimite vobis terras quas vendidistis, emite vobis sericas vestes, ut pro tempore fulgeatis ut rosa, sic dum flos ejus, et odorem paruit, et ruborem ostendit, repente marcescit. Suspirâstis enim in vestrorum servorum aspectu, et vos effectos pauperes gemuistis. Estote divites temporaliter, ut in perpetuum mendicetis. Nunquid non valet manus Domini, ut faciat servos suos divitiis affluentes incomparabiliter, et splendentes? sed certamen statuit animarum, ut credant se æternas habituros divitias, qui pro ejus nomine temporales opes habere noluerunt."

Denique narravit nobis magister noster de quodam divite, qui epulabatur quotidie, et fulgebat in auro, et purpura, ad cujus fores jacebat mendicus Lazarus, qui cupiebat vel micas, quæ de mensa cadebant accipere, et nemo illi dabat. Contigit autem ut uno die ambo deficerent, et ille mendicus duceretur in requiem, quæ est in sinu Abrahæ, ille autem dives mitteretur in flammam incendii, unde elevans oculos vidit Lazarum, et ait, "Obsecro te Pater Abraham, ut dimittas Lazarum, et intinctum digitum extremum in os meum mittat, quod crucior in hac flamma." Cui respondit Abraham dicens, "Memento fili quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala. Nunc iste consolatur, tu vero torqueris. Et in his omnibus chaos magnum inter nos et vos firmatum est, ut neque inde huc, neque hinc illuc transiri possit." Ad hæc ille respondit, "Sunt mihi quinque fratres, obsecro te

ut pergat aliquis qui moneat eos, ne huc veniant ad hanc flammam." Cui Abraham ait, "Habent Moysen, et Prophetas, audiant eos." Ad hæc ille respondit, "Non Domine, nisi resurrexerit aliquis, non credent." Et ait Abraham, "Si Moysen, et Prophetas non audient, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent." Hos autem sermones suos Dominus, et magister virtutum firmabat exemplis; nam quum dicerent, Si quis inde huc verteret, credamus ei, dixit eis, "Afferte huc mortuos, quos habetis." Quumque adportâssent coram illo tria corpora mortuorum, velut dormientia excitata sunt ab eo, qui dabant fidem cunctis sermonibus ejus. Sed utquid ego de Domino meo referam? quum in præsenti sint, quos in ejus nomine suscitavi vobis præsentibus. In cujus nomine paralyticos curatos vidistis, et leprosos mundatos, et cœcos inluminatos, et homines a dæmoniis liberatos. Sed has virtutum opes habere non possunt, qui voluerint divitias habere terrenas. Denique vos ipsi quando ad infirmos intrâstis, invocato nomine Jesu Christi salvati sunt. Fugâstis dæmonia, etiam cœcis lumina reddidistis. Hæc gratia ablata est a vobis, et facti estis miseri, qui eratis fortes, et magni. Sed quum tantus timor vester esset in dæmoniis, ut jussu vestro homines derelinquerent, modo vos timetis dæmonia; amator enim pecuniæ servus est Mammonæ, Mammona autem dæmonis nomen est, qui lucris carnalibus præest, et dominatur his, qui diligunt mundum. Ipsi autem amatores mundi non possident divitias, sed ipsi a divitiis possidentur. Nam quum sit unus venter, et sint reposita tanta, quæ mille ventribus satis sunt: et quum sit unum corpus, et sint tantæ vestes, quæ mille hominum corporibus præbere valeant indumenta, utique quod uti non

potest custoditur, et cui custodiatur omnino nescitur, dicente Sancto Spiritu per prophetam: *Vane conturbatur omnis homo, quia thesaurizat, et ignorat cui congregat ea.* Nudos fuderunt in lucem partus mulierum egentes cibo, et potu, et amictu: nudos recipit terra quos edidit. In commune possidemus cœli divitias; splendor solis, qui divitis et pauperis æqualis est, et pluviarum guttæ, et ecclesiarum januæ, et fontis sanctificatio, et remissio peccatorum, et participatio altaris, et esca corporis, et potus sanguinis sancti, et chrismatis unctio, et gratia largitoris, et visitatio Domini, et indulgentia peccati; hæc omnia absque personarum acceptione æqualis est dispensatio conditoris. Neque enim aliter dives, aliter pauper terrestribus utitur donis, sed miser, et infelix homo, qui vult plus aliquid habere, quam sufficit. Nascunter enim ei dolores febrium, rigores frigorum, dolores varii in cunctis corporis membris, et neque esca cibari potest, nec poculo satiari. Ut cognoscat aviditas non sibi pecunias profuturas, quæ reposita custodibus suis sollicitudinem diurnam et nocturnam incutiunt, et nec unius horæ spatio quietos eos, aut securos esse patiuntur. Nam custodiuntur a furibus domus, dum possessio colitur, dum aratris intendunt, dum solvunt fiscalia, dum lucris student potentiorum se impetus mitigare nituntur; dum minus potentes se nudare contendunt; dum iras suas, quibus possunt, inferunt, et inlata in se vix tolerare possunt; dum in blandimento carnis adsentiunt; dum ludere tabulis et spectaculis non perhorrescunt; dum polluere et pollui non metuunt, subito exeunt de isto sæculo nudi, sola secum peccata portantes, pro quibus sunt pœnas passuri perpetuas." Hæc dicente Apostolo, ecce afferebatur a matre vidua juvenis, qui triginta dies habebat,

quod uxorem acceperat. Venientes autem turbæ, quæ exequias faciebant, simul cum matre ejus vidua jactaverunt se ad pedes ejus, omnes pariter mugitus, et fletus, et gemitus emittentes rogabant, ut in nomine Dei sui sicut Drusianam, sic et hunc juvenem mortuum suscitaret. Tantus autem omnium extitit fletus, ut etiam ipse sanctus apostolus vix a fletu et lacrymis temperaret. Tunc prosternens se in oratione diutissime flevit, et exurgens ab oratione expandit manus suas ad cœlum, tacita prece diutissime oravit. Hoc quum fecisset tertiò, jussit solvi involutum corpus et ait, "O juvenis Stactee, qui amore carnis tuæ ductus, cito animam amisisti: O juvenis qui nescîsti creatorem tuum, nescîsti salvatorem hominum, nescîsti amicum verum, et ideo hostem pessimum incurristi. Pro ignorantia tua lacrimas Domino simul, et preces effudi, ut exurgas mortis vinculo resolutus, et istis duobus, Attico et Eugenio, annunties, quantam gloriam amiserint, et quantam incurrerint pœnam." Tunc exurgens Stacteus adoravit apostolum, et cœpit increpare discipulos ejus dicens, "Audivi angelos vestros, et Satanæ angelos in vestra dilectione gaudentes, jam paratum vobis ex coruscantibus gemmis dietas instructas plenas gaudiis, plenas epulis, plenas deliciis, plenas vitæ perpetuæ, plenas luminis æterni, plenas delectationibus, quas amisistis incauti, et acquisîstis vobis loca tenebrarum, plena draconibus, plena stridentibus flammis, plena cruciatibus, et incomparabilibus pœnis, plena pudoribus, plena doloribus, plena angustiis, plena timore, et tremore; amisistis loca, plena floribus immarcescibilibus, plena mulcentia vocibus organorum: et acquisîstis loca in quibus, die noctuque, non cessat mugitus, ululatus, et luctus. Jam nihil aliud vobis superest,

nisi ut rogetis apostolum Domini, ut sicut me resuscitavit, et ab interitu ad salutem perduxit, ita et animas vestras, quæ etiam de libro vitæ deletæ sunt, resuscitet." Tunc iste ipse, qui suscitatus fuerat, prostravit se cum omni populo, et cum Attico et Eugenio omnes pariter exorabant apostolum, ut intercederet pro his apud Dominum. Quibus sanctus apostolus hoc dedit in responsis, ut per triginta dies Domino pœnitentiam offerrent; in quo spatio hoc maxime precarentur, ut virgæ aureæ in suam naturam redirent; similiter, et lapides ad vilitatem in qua nati fuerant remearent. Factum est autem, ut triginta dierum spatio transacto, quum neque virgæ mutarentur in lignum, neque gemmæ mutarentur in lapides, venientes Atticus et Eugenius dixerunt apostolo, "Semper misericordiam docuisti, semper indulgentiam prædicâsti, et præcepisti, ut homo parceret homini: et si hominem homini indulgere voluit Deus, quanto magis ipse, quum sit Deus, homini et indulget, et parcit? In peccato nostro confusi sumus, et quod oculis concupiscentibus mundum deliquimus, oculis flentibus pœnitemus. Oramus te, Domine, oramus, apostole, ut indulgentiam Dei, quam semper prædicas verbis, factis ostendas." Tunc beatus Joannes flevit, et pœnitentibus universis etiam pro his interim venientibus dixit, "Dominus noster Jesus Christus his sermonibus usus est, ut diceret, *Nolo mortem peccatoris, sed volo ut convertatur, et vivat.* Nam et quum nos doceret de pœnitentibus, Dominus noster Jesus ait, Amen dico vobis, quia magnum gaudium est in cœlo angelis super unum pœnitentem et convertentem se a peccatis suis, et amplior lætitia illis est, quam super nonaginta novem qui non peccaverunt. Unde volo vos scire quia Domi-

nus accepit pœnitentiam eorum." Tunc conversus ad Atticum et Eugenium dixit, "Ite, et reportate virgas ad silvam, unde eas assumpsistis, quoniam ad suam sunt naturam conversæ, et lapides, quoniam petræ effectæ sunt, ut fuerant; quod quum fuisset impletum, receperunt gratiam quam amiserant; ita ut etiam fugarent dæmonia, et sicut prius infirmos curarent, et virtutes multas per eos Dominus faceret." Quum autem omnis civitas Ephesiorum, immo omnis provincia Asiæ Joannem excolerent, et prædicarent, accidit, ut cultores idolorum excitarent seditionem. Unda factum est, ut Joannem traherent ad templum Dianæ, et urgerent eum, ut ei fœditatem sacrificiorum offerret. Tunc beatus Joannes ait, "Ducam vos omnes in ecclesiam Domini mei Jesu Christi, et invocantes nomen Dianæ vestræ, facite cadere ecclesiam ejus, et consentiam vobis. Si autem hoc facere non potestis, ego invoco nomen Domini mei Jesu Christi, et faciam cadere templum hoc, et comminui idolum vestrum. Quod quum fuerit, justum vobis videri debet, ut relicta superstitione ejus rei quæ a Deo meo victa est et confracta, ad ipsum convertamini." Ad hanc vocem conticuit omnis populus, et licet essent pauci, qui contradicerent huic definitioni, pars tamen maxima consensum adtribuit. Tunc beatus Joannes blandis alloquiis exorabat populum, ut a templo se longe facerent. Quumque universi ex interiori parte foras exîssent, voce clara coram omnibus dixit, "Ut sciat omnis hæc turba, quia idolum hoc Dianæ dæmonium est, et non Deus, corruat cum omnibus manufactis idolis, qui coluntur in eo, ita ut nullam in hominibus læsionem faciat." Continuo autem ad hanc vocem apostoli, omnia simul cum templo suo idola ita corruerunt, ut fierent sicut pulvis, quem

projicit ventus a facie terræ. Conversi sunt autem eo die duodecim millia gentilium, exceptis parvulis, et mulieribus, et baptizati sunt consecrati virtute. Tunc Aristodemus, qui erat Pontifex idolorum, repletus spiritu nequissimo, excitavit seditionem in populo, ita ut populus contra populum pararetur in bellum. Sed beatus Joannes ait, "Dic mihi, Aristodeme, quid faciam, ut tollam indignationem de animo tuo?" Aristodemus dixit, "Si vis ut credam Deo tuo, dabo tibi venenum bibere, quod quum biberis, si non fueris mortuus, apparet verum esse Deum suum." Cui apostolus ait, "Venenum si dederis mihi bibere, invocato Domini mei nomine non poterit nocere mihi." Cui Aristodemus ait, "Prius est, ut videas bibentes, et statim morientes, ut vel sic possit cor tuum ab hoc periculo formidare;" cui beatus Joannes respondit, "Jam dixi tibi, tu paratus esto credere in Dominum meum Jesum Christum, dum me videris post veneni poculum sanum." Perrexit itaque Aristodemus ad proconsulem, et petivit ab eo duos viros, qui pro suis erant sceleribus decollandi, et statuens eos in medio foro coram populo fecit eos bibere venenum, qui mox ut biberunt, spiritum exhalârunt. Tunc dixit Aristodemus, "Audi Joannes; aut recede ab ista doctrina, qua a Deorum cultura revocâsti populum, aut accipe, et bibe, ut ostendas omnipotentem esse Deum tuum, si postea quam biberis, poteris incolumis permanere." Tunc beatus Joannes jacentibus mortuis his qui venenum biberant, intrepidus et constans accepit calicem, et signaculum Crucis faciens in eo dixit, "Deus meus Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, cui omnia subjecta sunt, cui omnis Creatura deservit, et omnis potestas subjecta est, et metuit, et expavescit, quum nos te ad auxilium invocamus,

cujus audito nomine serpens conquiescit, draco fugit, silet vipera, et rubeta illa, quæ dicitur rana, quieta torpescit, et scorpius extinguitur, regulus vincitur, et phalangius nihil noxium operatur, et omnia venena, et adhuc ferociora repentia, et animalia noxia tenebrantur, et omnes adversæ salutis humanæ radices arescunt. Tu extingue hoc venenum, virus, extingue operationes mortiferas, et vires, quas in se habet, evacua in conspectu omnibus his, quos tu creâsti, oculos ut videant, et cor ut magnitudinem tuam intelligant." Et quum dixisset, totum semetipsum ornavit signo Crucis, et bibit omne quod erat in calice, et postea quam bibit, dixit, "Peto ut propter quos bibi convertantur ad te Domine, et salutem quæ apud te est, te illuminante mereantur."

Attendentes autem populi Joannem per tres horas vultum habere hilarem, et nulla penitus signa palloris, aut trepidationem habentem, clamare cœperunt: Unus est Deus verus, quem colit Joannes. Aristodemus autem nec sic credebat, sed populus objurgabat eum. Ille autem conversus ad Joannem dixit, "Inest mihi adhuc dubitatio; sed si istos qui per hoc venenum mortui sunt, in nomine Dei tui excitaveris, emundabitur ab omni incredulitate mens mea." Populi autem insurgebant in Aristodemum, dicentes, "Incendimus te, et domum tuam, si ausus fueris ultra apostolum Dei in tuo sermone facere laborare." Videns autem Joannes acerrime seditionem fieri, omnibus audientibus ait, "Prima est de virtutibus Divinis, quam videmur imitari patientiam, per quam ferre possimus incredulorum insipientiam. Unde si adhuc Aristodemus ab infidelitate tenetur, solvamus nodos infidelitatis ejus, et licet tarde, faciamus tamen eum cognoscere creatorem suum.

Non enim cessabo hoc opere, quomodo ejus possit vulneribus provenire. Ut sicut medici habentes inter manus ægrum varia medela indigentem, ita etiam nos, si adhuc curatus non est, ideoque quod factum non est aliud faciamus. Et convocans ad se Aristodemum, dedit ei tunicam suam, et ipse pallio amictus cœpit stare. Cui Aristodemus ait, "Ut quid mihi dedisti tunicam tuam ?" Dicit ei Joannes, "Ut vel sic confusus a tua infidelitate discedas." Cui Aristodemus ait, "Et quomodo me tunica tua facit ab infidelitate mea recedere ?" Cui respondit Apostolus ? "Vade, et mitte eam super corpora defunctorum, et dices ita ; Apostolus Domini nostri Jesu Christi misit me, ut in nomine Dei ejus surgatis, et cognoscant homines, quia vita et mors famulantur Domino meo Jesu Christo." Quod quum fecisset Aristodemus et vidisset eos surgere, adorans Joannem festinus perrexit ad Proconsulem, et cœpit clamare dicens, "Audi me, Proconsul. Memorem te puto quod contra Joannem frequentem iram tuam excitavi, et multa mala contra eum egi, unde vereor ne iram ejus experiar, est enim Deus sub specie hominis latens. Nam venenum bibens non solum ipse incolumis perseverat, verum etiam qui veneno mortui fuerant per manus meas tunicæ ejus tactu suscitati vivunt, nulla secum signa mortis habentes." Dicit Proconsul, "Et quid vis ut faciam ?" Respondit Aristodemus, "Ut veniam postulemus, et quicquid nobis jusserit faciamus." Tunc venientes simul prostraverunt se, ab apostolo indulgentiam flagitantes. Quos ille suscipiens oratione cum gratiarum actione obtulit Domino, præcipitque eis unius hebdomadæ jejunium agere. Quo expleto baptizavit eos. Qui quum baptizati fuissent cum universa parentela, et affinitate sua,

et familiis suis fregerunt omnia simulacra, et fabricaverunt basilicam in nomine Sancti Joannis, in qua ipse Sanctus Joannes assumptus est hoc ordine. Quum esset annorum nonaginta septem, apparuit ei Dominus Jesus Christus cum Discipulis suis, et dixit ei, "Veni ad me, quia tempus est ut epuleris in convivio meo cum fratribus tuis." Surgens autem Joannes cœpit ire, sed Dominus dixit ei, "Dominica resurrectionis meæ die, qui post quinque dies futurus est, sic venies ad me." Et quum hoc dixisset, cœlo receptus est. Veniente itaque die Dominica convenit universa multitudo in Ecclesia, quæ in ejus nomine fuerat fabricata, et a primo pullorum cantu agens mysteria Dei, omnem populum usque in horam tertiam alloquutus est, dicens:

"Fratres, et conservi me, et cohæredes, et participes regni Dei: cognoscite Dominum Jesum Christum, quantas virtutes, quanta prodigia, signa quoque, et charismata similiter doctrinam per me vobis præstiterit. Perseverate in ejus mandatis, me enim Dominus jam de hoc mundo vocare dignatur." Post hæc juxta altare jussit foveam fieri quadratam, terram ejus foras ecclesiam projici. Et descendens in ea expandens manus suas ad Dominum dixit, "Invitatus ad convivium tuum venio gratias agens, quia me dignatus es, Domine Jesu Christe, ad tuas epulas invitare, sciens quod ex toto corde meo desiderabam te. Vidi faciem tuam, et quasi de sepultura suscitatus sum. Odor tuus concupiscentias in me excitavit æternas. Vox tua plena suavitate melliflua, et alloquutio tua incomparabilis eloquiis angelorum. Quoties te rogavi, ut ad te venirem: et dixisti, Expecta, ut populum liberes creditum mihi, et custodisti corpus meum ab omni pollutione, et animam meam semper illumi-

nâsti, et non dereliquisti me quum irem in exilium, et redirem, et posuisti ori meo verbum veritatis tuæ commemorans me testimonia tuarum virtutum, et scripsi ea opera, quæ audivi ex ore tuo auribus meis, et vidi oculis meis. Et nunc, Domine, commendo filios tuos, quos tibi ecclesia tua virgo vera mater per aquam et Spiritum Sanctum generavit. Suscipe me cum fratribus meis simul, cum quibus veniens invitâsti me. Aperi mihi pulsanti januam vitæ, principes tenebrarum non occurrant mihi, et pes superbiæ, et manus extranea a te non tangat me. Sed suscipe me secundum verbum tuum, et perduce me ad convivium epularum tuarum, ubi epulantur tecum omnes amici tui. Tu es enim Christus filius Dei, cum Patre tuo, et cum Spiritu Sancto vivis, et regnas in sæcula sæculorum." Quumque omnis populus respondissent Amen, lux tanta apparuit super Apostolum per unam fere horam, ut nullus eam sufferret aspectus. Postea vero inventa est fovea illa plena, nihil aliud in se habens nisi manna; quam usque hodie gignit locus ipse, et fiunt virtutes, orationum ejus meritis, quum omnibus infirmitatibus et periculis liberantur omnes, et precum suarum consequuntur effectum. Amen.

XVI.

MARCELLI DE ACTIBUS

PETRI ET PAULI APOST.

Marcelli, quem discipulum Petri Apostoli ferunt, De mirificis rebus et actibus beatorum Petri et Pauli, et de magicis artibus Simonis Magi.

Quum venisset Paulus Romam, convenerunt ad eum omnes Judæi, dicentes, "Nostram fidem, in qua natus es, ipsam defende. Non est enim justum ut tu quum sis Hebræus ex Hebræis veniens, gentium te magistrum indices, et incircumcisorum defensor factus, tu quum sis circumcisus, fidem circumcisionis evacues. Quum ergo Petrum videris, suscipe contra eum contendere, quia omnem observationem nostræ legis evacuavit: exclusit sabbatismum, et neomenias, et legitimas ferias inanivit." Quibus Paulus respondit, "Me Judæum esse, et verum Judæum, hic poteritis probare, quum et sabbatum observare et circumcisionem vere poteritis advertere. Nam sabbato die requievit ab operibus Deus. Nos habemus patres, et Patriarchas, et legem. Quid tale prædicat Petrus in regno gentium? Sed et si forte aliquam vult introducere novam doctrinam, sine conturbatione, et sine invidia, et sine strepitu nunciate ei, ut nos videamus, et in vestro conspectu illum ego convincam. Quod

si forte doctrina ejus fuerit vero testimonio, et Hebræorum libris munita, decet nos omnes obedire ei." Hæc et his similia dicente Paulo perrexerunt Judæi ad Petrum, et dixerunt ei, "Paulus ex Hebræis venit, rogat te ut venias ad eum, quoniam hi, qui eum adduxerunt, dicunt non se posse dimittere, ut videat quem vult, antequam eum Cæsari insinuent." Audiens hæc Petrus gaudio gavisus est magno, et statim exurgens perrexit ad eum. Videntes autem se, præ gaudio fleverunt, et in amplexibus suis diutissime morati invicem se lacrymis infuderunt. Quumque Paulus illi omnem textum suorum indicâsset, et Petrus dixisset illi, quas Simonis Magi pateretur insidias, abscessit Petrus ad vesperum, mane die altero reversurus.

Quumque aurora diei daret initium, ecce Petrus adveniens invenit multitudinem Judæorum ante fores Pauli; erat autem inter Judæos, et Christianos, et Gentiles infinita conturbatio. Judæi enim dicebant, "Nos genus electum, regale, amicorum Dei Abrahæ, Isaac, et Jacob, et omnium prophetarum, cum quibus loquutus est Deus, quibus Deus ostendit secreta sua; vos autem ex gentibus nihil in semine vestro magnum nisi in idolis, et sculptilibus inquinati execrabiles extitistis." Hæc et his similia dicentibus Judæis gentes respondebant dicentes, "Nos mox, ut audîmus veritatem, reliquimus errores nostros, et sequuti eam sumus; vos autem, et paternas virtutes, sectas, et prophetarum signa vidistis, et legem accepistis, et mare pedibus siccis transîstis, et inimicos vestros demissos vidistis, et columna vobis per diem in cœlo apparuit, et ignis per noctem, et manna vobis de cœlo data est, et de petra vobis aquæ fluxerunt, et post hæc omnia idolum vobis vituli fabricâstis, et adorâstis sculptile;

nos autem nulla signa videntes credimus Dominum hunc, quem vos non credentes dereliquistis." Hæc et his similia contendentibus dixit apostolus Paulus, "Non debere eos has contentiones inter se suscipere, sed hoc magis attendere, quia complêsset Dominus promissa sua, quæ juravit ad Abraham patrem nostrum, quod in semine ejus hæreditarentur omnes gentes: non est enim personarum acceptio apud Dominum, quicunque enim in lege peccâsset, secundum legem judicaretur; qui vero sine lege deliquissent, sine lege perirent; est enim in humanis sensibus tanta sanctitas, ut bona laudet natura, et puniat mala, quæ inter se invicem cogitationes, aut accusantes puniat, aut remuneret excusantes."

Hæc, et his similia Paulo dicente, factum est, ut mitigati essent Judæi, et gentes, sed principes Judæorum insistebant. Petrus vero his, qui eum arguebant, quod synagogis eorum interdiceret, dixit, "Audite fratres S. Spiritum promittentem patriarchæ David, quod de fructu ventris ejus poneret super sedem suam. Hunc ergo, cui dixit Pater de cœlis, *Filius meus es tu, ego hodie genui te,* hunc crucifixerunt per invidiam principes sacerdotum. Ut impleret autem redemptionem necessariam sæculo, permisit se hæc omnia sustinere, ut sicut ex costa Adæ fabricata est Eva, sic ex latere Christi in cruce positi fabricaretur ecclesia, quæ non haberet maculam neque rugam. Hunc Deus aditum aperuit omnibus filiis Abraham, Isaac, et Jacob, ut sint in fide ecclesiæ, et non in infidelitate synagogæ. Convertimini ergo, et intrate in gaudium Abrahæ patris vestri, quia quod ei promisit adimplevit: unde et Propheta canit: *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Sacerdos enim in cruce factus est, quum hostia

corporis et sanguinis pro omni sæculo sacrificium præbuisset." Hæc et his similia dicentibus Petro et Paulo, pars maxima populorum credidit, et pauci fuerunt, qui et ipsi simulata fide non tamen aperte possent eorum negligere monita, vel præcepta. Videntes autem majores Synagogæ, et gentium Pontifices, sibi per prædicationem eorum finem specialiter fieri, egerunt hoc ut sermo eorum in murmuratione populi eveniret; unde factum est, ut Simeonem Magum Neroni præferrent, et istos culparent. Innumerabiles enim populi dum converterentur ad Dominum per prædicationem Petri, contigit, ut etiam uxorem Neronis Liviam, et Agrippæ Præfecti conjugem nomine Agrippinam, ita converti, ut a latere se suorum maritorum auferrent. Per Pauli vero prædicationem multi deserentes militiam adhærebant Domino, ita ut etiam ex cubiculo regis venirent ad eum, et facti Christiani noluerunt reverti ad militiam, neque ad palatium.

Hinc populis seditiosa murmuratione agentibus Simon excitatus est in zelum, et cœpit de Petro multa mala dicere, dicens eum magum, et seductorem esse. Credebant autem illi qui mirabantur signa ejus: faciebat enim serpentem æreum movere se ipsum, ipsum autem currere, et subito in aere videri. Contra hæc Petrus infirmos curabat verbo, cæcos videre faciebat orando, dæmonia jussu fugabat, interea, et ipsos mortuos suscitabat: dicebat autem ad populum, ut ab ejus seductione non solum fugerent, sed etiam desererent eum, ne viderentur diabolo consentire. Sic factum est, ut omnes religiosi viri execrantes Simonem magum sceleratum eum adsererent, Petrum vero in laudibus Domini prædicarent; contra omnes scelerati,

inlusores, et seductores, et pessimi adhærerent Simoni, Petrum magum adserentes, quod ipsi erant, quum Simonem dicerent Deum esse. Qui sermo usque ad Neronem Cæsarem venit, et Simonem Magum, ut ad se ingrederetur præcepit; qui ingressus cœpit stare ante Neronem, et subito mutare effigiem, ita ut fieret subito puer, et post hæc senior, altera vero hora adolescentior. Mutabatur sexu, et ætate, et per multas figuras Diaboli ministerio jactabatur. Quod quum videret Nero, verum hunc esse Dei filium æstimabat: Petrus vero Apostolus docebat hunc esse furem mendacem, magum turpem sceleratum, et in omnibus quæ sunt Dei, adversarium veritatis, nihilque superesse nisi ut jussu Dei ejus iniquitas manifestata omnibus panderetur. Tunc ingressus ad Neronem Simon dixit, "Audi me, bone Imperator; ego sum filius Dei qui de cœlo descendi, usque modo Petrum qui se dicit Apostolum patiebar, non ergo geminatum est malum: Paulus denique qui et ipse eadem docet, et contra me sentit simul dicitur cum eo prædicare, quod constat quia nisi de interitu eorum cogitaveris, regnum tuum stare non poterit."

Tunc Nero solicitudine instigatus festinanter ad se eos jussit adduci. Alio autem die quum introîssent ad Neronem Simon Magus, et Apostoli Christi Petrus, et Paulus, Simon dixit, "Hi sunt discipuli illius Nazareni quibus non est tam bene ut sint de plebe Judæorum." Nero dixit, "Quid est Nazareus?" Simon dixit, "Est Civitas in Judæa, quæ semper adversum vos fecit; hæc Nazareth dicitur, et ex ipsa fuit magister eorum." Nero dixit, "Deus omnem hominem monet, et diligit. Tu quare eos persequeris?" Simon dixit, "Istud hominum est genus qui totam Judæam perverterunt

ne mihi crederent." Nero ad Petrum ait, "Quare tam perfidi estis, ut genus vestrum?" Tunc Petrus ad Simonem ait, "Omnibus imponere potuisti, mihi autem nunquam: ipsos autem, quos deceperas, per me Deus de tuo errore revocavit, et quum expertum tibi sit, quod me superare non possis, miror qua fronte in conspectu regis te jactes per artem tuam magicam Christi discipulos superare." Nero dixit, "Quis est Christus?" Petrus dixit, "Ille est Christus, qui est pro redemptione mundi crucifixus, quem hic Simon Magus se esse affirmat; hic autem est homo nequissimus, et opera ejus Diabolica. Si autem vis scire, imperator, quæ gesta sunt in Judæa de Christo, mitte, et accipe literas Pontii Pilati, missas ad Claudium Cæsarem, et ita cognosces omnia." Nero autem, ut hæc audivit, jussit eas accipi, et in suo conspectu recitari. Erat autem textus scripturæ in hunc modum:

Pontius Pilatus Claudio Sal. Nuper [*vide* p. 463]. Quumque perlecta fuisset epistola, Nero dixit, "Dic mihi Petre, ita per illum omnia gesta sunt?" Petrus ait: "Ita; non te fallo, bone imperator. Hic Simon plenus mendaciis, et fallaciis circundatus, ut putet se, quum homo sit pessimus, etiam hoc esse, quod Deus est. In Christo enim sunt substantiæ duæ, Dei, et hominis. Hominis itaque quem assumpsit illa majestas incomprehensibilis, quæ per hominem hominibus dignata est subvenire; In isto autem Simone sunt duæ substantiæ, hominis, et Diaboli, qui per hominem conatur hominibus impedire." Simon dixit, "Miror te, Imperator, hunc te alicujus momenti æstimare hominem imperitum piscatorem, mendacissimum, et nec in verbo, nec in genere, nec in aliqua præditum potestate. Sed ne diutius hunc patiar inimicum, modo præcipiam Angelis

meis, ut veniant et vindicent me de isto." Petrus dixit, "Non timeo angelos tuos; illi autem poterunt me timere in virtute, et confidentia Jesu Christi Domini mei, quem esse mentiris." Nero dixit, "Non times, Petre, Simonem, qui divinitatem suam rebus adfirmat." Petrus dixit, "Divinitas in eo est, qui cordis rimatur arcana. Si ergo Divinitas est in isto, dicat nunc mihi quid cogito, vel quid facio. Quam cogitationem meam ante quam hic mentiatur, prius tuis auribus insinuo, ut non audeat mentire quid cogito." Nero dixit, "Dic mihi quid cogitas." Petrus dixit, "Jube mihi afferri panem hordaceum, et occulte dari." Quumque hoc jussum fuisset afferri, et dari Petro, accepto pane fregit, et abscondit sub manica sua, et dixit Petrus; "Dicat nunc quid cogitavi, quid dictum, quidve factum." Nero dixit, "Vis ergo ut credam, quia hæc Simon non ignorat, qui et mortuum suscitavit, et se ipsum decollatum post diem tertium repræsentavit, et quicquid dixit ut faceret, fecit." Petrus dixit, "Sed coram me non fecit." Nero dixit, "Me adstante hæc omnia fecit, nam et angelos jussit ad se venire, et venerunt." Petrus dixit, "Ergo si quod maximum est fecit, quare quod minus est non facit? dicat quid cogitaverim, et quid fecerim." Nero dixit, "Quid dicis Simon? ego me inter vos non convenio." Simon dixit, "Petrus dicat quid ego cogitem." Petrus respondit, "Quid cogitet Simon me scire docebo, dum fecerim quid cogitaverit." Simon dixit, "Hoc scias imperator, quia cogitationes hominum nemo novit, nisi unus Deus." Petrus dixit, "Tu ergo, qui filium Dei te esse dicis, dic quid cogitem, quod fecerim modo in occulto, si potes exprime." Petrus enim benedixerat panem, quem acceperat hordaceum, et fregerat, et dextra atque

sinistra in manica collocaverat. Tunc Simon indignatus, quod dicere non posset secretum apostoli, exclamavit dicens, "Procedant canes magni, et devorent eum in conspectu Cæsaris; et subito apparuerunt canes miræ magnitudinis, et impetum fecerunt in Petrum. Petrus vero extendens manus in orationem, ostendit canibus eum, quem benedixerat panem; quem, ut viderunt canes, subito nusquam comparuerunt. Tunc Petrus dixit ad Neronem, "Ecce ostendi tibi, scîsse me quid cogitaverit Simon, non verbis, sed factis; nam qui angelos promiserat contra me esse venturos, canes exhibuit, ut se ostenderet non divinos angelos, sed caninos habere." Tunc Nero ad Simonem dixit, "Quid est, Simon? puto victi sumus." Simon dixit, "Hic et Judæa, et tota Palæstina, et Cæsaræa ista mihi fecit, et sæpe mecum certando, ideo dicit, quia hoc ei erat contrarium; me ergo ut evaderet didicit hoc. Namque, ut dixi, cogitationes hominum nemo novit nisi unus Deus." Et Petrus ad Simonem dixit, "Certe Deum esse te mentiris; quare ergo non manifestas cogitationes singulorum?" Tunc conversus Nero ad Paulum sic ait, "Tu quare nihil dicis, Paule." Paulus dixit, "Hoc scito, Cæsar, quia si dimiseris istum magum tanta agere, magnum malum patriæ tuæ adcrescit, et regnum tuum a statu suo dejiciet." Nero Simoni dixit, "Quid dicis tu Simon?" Simon respondit, "Ego nisi me aperte demonstravero Deum esse, nemo mihi venerationem debitam exhibebit." Nero dixit, "Et utquid modo moraris, et non ostendis te Deum esse, ut isti puniantur?" Simon dixit, "Jube mihi turrem altam fieri ex lignis, et ascendam super eam, et vocabo angelos meos, et præcipiam eis, ut cunctis videntibus in cœlum perferant me ad patrem meum.

Hoc isti dum facere non potuerint, probabis eos homines esse imperitos." Nero autem ad Petrum dixit, "Audîsti Petre quid Simon dixerit, ex hoc apparebit quantam virtutem habeat, vel ipse, vel Deus tuus." Petrus ad hæc respondit, "Optime Imperator, si velles, poteras intelligere eum, quia dæmonio plenus est." Nero Imperator dixit, "Quid mihi verborum ambigere circuitus facis? crastinus dies vos probabit." Simon dixit, "Credis, bone imperator, quia Magus sum, quum mortuus fuerim, et resurrexerim?" egerat enim perfidus Simon præstigio suo ut diceret Neroni, "Jube decollari me in obscuro, et ibidem dimitti occisum, et si non tertia die resurrexero, scias me magum fuisse; si autem resurrexero, scias me esse filium Dei." Et quum hoc fieri jussisset Nero in obscuro, egit ille arte magica ut aries decollaretur, qui aries tamdiu Simon visus est, quamdiu decollaretur. Decollatus autem in obscuro, quum scrutatus fuisset is, qui eum decollaverat, et caput ejus pertulisset ad lumen, invenit caput vervicinum; sed nihil voluit regi dicere, ne se ipsum detegeret, qui jussus fuerat hoc in abditis perpetrare. Hinc ergo dicebat Simon, se die tertia resurrexise, quia caput, et membra vervicis tulerat, sanguis vero ibidem congelaverat, et tertia die ostendit se Neroni, et dixit, "Fac sanguinem meum, qui effusus est, extergi, quia ecce, qui decollatus fueram, sicut promisi die tertia resurrexi." Quum ergo dixisset Nero, crastinus dies vos probabit, tunc conversus ad Paulum ait, "Tu Paule quare nihil loqueris, aut quis te docuit, aut quem magistrum habuisti, aut qualiter in civitatibus docuisti, vel quales extiterunt per tuam doctrinam? Puto enim nullam te habere sapientiam, nec virtutem aliquam posse perficere." Ad hæc Paulus respondit,

"Putas me contra hominem perfidum, et desperatum magum, maleficum, qui animam suam morti destinavit, cujus interitus et perditio cito adveniet, isti debere loqui? qui fingit se esse, quod non est, et arte magica hominibus ad perditionem inludit, hujus verba si volueris audire, vel fore perdes animam tuam, et imperium tuum; hic enim homo pessimus est, et sicut Ægyptii magi Jamnes et Mambres, qui Pharaonem et exercitum ejus miserunt in errorem quousque demergerentur in mare: sic, et hic per patris sui Diaboli peritiam hominibus persuadet, et multa mala facit per nichromantiam, et cætera mala, si qua sunt apud homines, et sic multus incautos seducit ad perditionem imperii tui. Ego autem verbum Diaboli, quod per hunc hominem diffundi video, gemitibus cordis mei ago cum Spiritu Sancto, ut cito possit ostendi quid sit. Nam quantum se exaltare putat ad cœlos, tantum dimergitur in inferno inferiore, ubi est fletus, et stridor dentium. De doctrina autem Magistri mei, de qua me interrogâsti, non eam capiunt, nisi qui mundum pectus adhibuerint. Nam quæ sunt pacis et caritatis, ea docui, et per circuitum ab Hierusalem usque Hiliricum replevi verbum pacis, et hoc maxime docui ut homines se diligant. Docui ut invicem se honore præveniant. Docui sublimes et divites non se extollere, et sperare in incerto divitiarum, sed in Deo ponere spem suam. Docui mediocres, victu, et vestimento contentos esse. Docui pauperes in sua egestate gaudere. Docui patres docere filios suos disciplinam timoris Domini. Docui filios obtemperare parentibus, et monitis salutaribus. Docui possidentes reddere vectigalia ministris Reipublicæ. Docui uxores diligere viros suos, et timere eos, quasi dominos. Docui viros fidem

servare conjugibus, sicut illæ sibi servare pudorem omnibus modis volunt. Quod enim punit maritus in uxore adultera, hoc punit in marito adultero ipse Pater, et conditor rerum Dominus. Docui dominos, ut mitius cum servis suis agant. Docui servos ut fideliter, et quasi Deo serviant Dominis suis. Docui ecclesias credentium, unum et omnipotentem, et invisibilem colere Deum. Hæc autem doctrina mihi non ab hominibus, neque per hominem aliquem data est, sed per Jesum Christum, et Patrem gloriæ, qui mihi de cœlo loquutus est, et dum me mitteret ad prædicationem Dominus meus Jesus Christus, dixit mihi, *Vade, et ego ero tecum, et omnia quæcunque dixeris aut feceris, ego justificabo.*" Nero his auditis stupuit, et conversus ad Petrum, dixit, "Tu quid dicis?" Et Petrus ait, "Omnia quæcunque loquutus est Paulus, vera sunt. Nam aliquot anni sunt ex quo accepi literas ab episcopis nostris, qui sunt in universo orbe Romano, et pene omnium civitatum epistolis scripserunt mihi de factis ejus, nam quum persequutor esset legis Christi, vox eum de cœlo vocavit, et docuit veritatem, quia non erat per invidiam inimicus fidei nostræ, sed per ignorantiam. Fuerunt enim ante nos pseudo-Christi, sicut est Simon, fuerunt et pseudo-Apostoli, fuerunt et pseudo-Prophetæ, qui contra sacros apices venientes evacuare studuerunt veritatem, et contra hos necesse erat agere; hic vero, qui ex infantia sua nihil aliud studii gesserat nisi divinæ legis scrutari mysteria, in quibus hoc didicerat, unde defensor veritatis, et persequutor existeret falsitatis. Quia ergo persequutio ejus non ex æmulatione fiebat, sed ex defensione legis, ipsa veritas eum de cœlo alloquuta est dicens ei; *Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris; cessa me persequi, quia ipsa veritas ego*

sum pro qua videris dimicare. Ergo quum cognovisset ita esse, deseruit quod defendebat, et incepit defendere hanc, quam persequebatur semitam Christi, qui est vera via pure ambulantibus, veritas nihil fallentibus, et vita credentibus sempiterna." Simon dixit, "Bone imperator, intellige conspirationem eorum, adversum me sapiunt." Petrus dixit, "Nulla veritas in te est, inimice veritatis, sed ex solo mendacio omnia ista dicis, et facis." Nero dixit, "Tu, Paule, quid dicis?" Paulus respondit, "Quæ a Petro audîsti, hoc et a me dictum crede, unum enim sentimus, quia unum habemus Dominum Jesum Christum." Simon dixit, "Putasne, imperator, cum his habere disputationem, qui adversum me consensum fecerunt?" et conversus ad apostolos dixit, "Audite, Petre et Paule. Si hic vobis nihil possum facere, veniemus, ubi vos oportet me judicare." Paulus respondit, "Bone imperator, vide quales nobis minas intendit." Et Petrus dixit, "Cur non irrideas hominem vanum, et alieni capitis, qui ludificatus a dæmonibus putat se manifestare non posse?" Simon respondit, "Ego vobis parco modo, quoadusque ostendam virtutem meam." Ad hæc Petrus respondit, "Nisi viderit Simon virtutem Christi Nostri Jesu Christi, non credit se Christum non esse." Simon dixit, "Sacratissime imperator, noli istis credere, quia hi sunt, qui circumciduntur, et circumcidunt." Ad hæc Paulus respondit, "Nos antequam veritatem cognosceremus, carnis circumcisionem tenuimus, at ubi veritas apparuit cordis circumcisione, et circumcisi sumus, et circumcidimur." Et Petrus dixit ad Simonem, "Si mala est circumcisio, tu quare circumcisus es?" Imperator dixit, "Ergo et Simon circumcisus est?" Petrus respondit, "Nec aliter poterat decipere animas, nisi

se Judæum simularet, et legem Dei docere ostenderet." Imperator dixit, "Tu, Simon, ut video, zelo duceris, et ideo istos persequeris. Est enim, ut video, zelus magnus inter te et Christum eorum, et vereor ne ab eis convincaris, et magnis malis consumptus esse videaris." Simon dixit, "Seduceris, imperator?" Nero dixit, "Quid est seduceris? Hoc, quod in te video hoc dico evidentem adversarium esse te Petri, et Pauli, et Magistri eorum." Simon respondit, "Pauli Christus magister non fuit." Paulus respondit, "Qui Petrum docuit, ipse me per revelationem instruxit, nam quod nos accusat circumcisos, dicat nunc ipse quare circumcisus sit." Ad hæc Simon respondit, "Quare me hoc interrogatis?" Paulus dixit, "Est ratio, ut te interrogemus." Imperator dixit, "Cur vereris respondere illis?" Simon dixit, "Ideo ego circumcisus sum, quia a Deo præcepta est circumcisio illo tempore, quo eam suscepi." Paulus dixit, "Audîsti, imperator, quid dixerit Simon? Si ergo bona est circumcisio, quare circumcisos tradidisti, et coegisti eos præcipitanter occidi?" Imperator dixit, "Sed nec de vobis bene sentio." Petrus et Paulus dixerunt, "An tu de nobis sentias bene, vel male, non ad rem pertinet, nobis enim necesse erit ut quod promisit magister noster, hoc fiat." Imperator dixit, "Quod si ego noluero?" Petrus dixit, "Non quod tu volueris, sed quod nobis ille pollicitus est." Simon respondit, "Bone imperator, hi homines circumvenerunt clementiam tuam, et obligaverunt te." Nero dixit, "Sed nec tu adhuc me de te confirmâsti." Simon respondit, "Quantis rebus, et signis a me tibi demonstratis miror, quod adhuc dubitare videris." Imperator respondit, "Ego neque dubito, neque cuiquam vestrum consentio, sed magis quod

interrogo responde mihi." Simon dixit, "Nihil tibi respondeo." Imperator dixit, "Ideo hoc dicis, quia mentiris." Et si ego tibi nihil possum facere, Deus, qui potens est faciet." Simon dixit, "Jam tibi responsurus non sum." Imperator dixit, "Sed nec ego te computem aliquid, ut enim sentio, fallax es in omnibus; sed quid plura? vos toti tres inconstabilitum animum vestrum ostendistis, et me ita dubium in omnibus fecistis, ut non inveniam cui credere possim." Ad hæc Petrus respondit, "Ego natione Judæus sum, et quæ a magistro meo audivi, hæc omnia prædico, ut credatis unum esse Deum Patrem invisibilem, et incomprehensibilem, et immensum, et unum Dominum nostrum Jesum Christum Salvatorem, et Creatorem omnium rerum. Adnuntiamus generi humano, qui fecit cœlum, et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt, qui verus rex est, et regni ejus non erit finis." Et Paulus dixit, "Quæ retulit, et ego similiter confiteor, eo quod non sit per alium salus, nisi per Jesum Christum." Imperator dixit, "Quis est rex Christus?" Paulus respondit, "Salvator omnium gentium." Simon dixit, "Ego sum quem dicis: et scitis, Petre et Paule, non vobis continget, quod cupitis, ut martyrio vos digner." Petrus et Paulus dixerunt, "Adveniat nobis, quod cupimus, et contingat, ut nunquam tibi sit bene, Simon Mage, et amaritudine plene, quoniam quæcunque loqueris mentiris." Simon dixit, "Audi me, Cæsar Nero, ut scias istos falsos esse, et me de cœlis missum, crastino die ad cœlos vadam, et illos qui mihi credunt, beatos faciam; in istos autem, qui me negare ausi sunt, iram meam ostendam." Petrus et Paulus dixerunt, "Nos olim vocavit Deus ad gloriam suam, tu autem a Diabolo jam vocatus es, ad tormenta festinas."

Simon dixit, "Cæsar Nero, audi me: istos insanos a te separa, ut dum venero ad Patrem meum in cœlis, possim tibi esse propitius." Imperator dixit, "Et unde hoc probamus, quia in cœlum vadis?" Simon dixit, "Jube turrem excelsam fieri ex lignis, et trabibus magnis, et poni in Campo Martio, ut ascendam in illam, et quum in eam ascendero, imperabo angelis meis, ut descendant ad me de cœlo, et tollant me in cœlum ad Patrem meum, ut scias me de cœlis esse missum. Non enim in terra inter peccatores ad me venire possunt." Nero imperator dixit, "Volo videre, si imples quod dicis." Simon respondit, "Jube ergo celerius fieri, ut videas."

Tunc Nero præcepit in Campo Martio turrim excelsam fieri, et præcepit, ut omnes populi, et omnes dignitates ad istud spectaculum convenirent. Altera vero die Nero imperator, cum senatu, et equites Romani, et omnis populus, venerunt in Campo Martio ad spectaculum, et quum venissent universi, tunc in omni hoc conventu jussit imperator Petrum et Paulum præsentari, et statim adducti sunt ante eum, quibus sic ait, "Nunc habet veritas apparere." Petrus et Paulus dixerunt, "Non eum nos detegimus, sed Dominus Jesus Christus filius Dei, quem hic se ipsum esse mentitus est." Et conversus Paulus ad Petrum dixit, "Meum est genibus positis Deum exorare; tuum est impetrare, si quid videris Simonem conari, quoniam tu prior electus es a Domino." Et positis genibus orabat Paulus coram omni populo. Petrus autem intuitus est Simonem dicens, "Incipe, quod cœpisti, appropinquabit enim, et tua detectio, et nostra vocatio de hoc sæculo. Video enim Christum me vocantem, et Paulum." Nero dixit, "Et quo ituri estis

contra meam voluntatem?" Petrus respondit, "Quo nos Dominus vocaverit." Nero dixit, "Et quis est Dominus vester?" Petrus respondit, "Dominus Jesus Christus, quem ego video, nos vocantem." Nero dixit, "Et vos in cœlum ituri estis?" Petrus respondit, "Quo ipsi placuerit, qui nos vocat, illuc sumus ituri." Ad hæc Simon respondit, "Ut scias imperator, istos fallaces esse, mox ut in cœlos ascendero, mittam ad te angelos meos, et faciam te ad me venire." Imperator dixit, "Fac ergo, ut loquutus es." Tunc ascendit Simon in turrim coram omnibus, extensis manibus, coronatus lauro, cœpit volare. Nero, ut vidit, Petro sic ait, "Iste Simon verax est; tu autem et Paulus seductores estis." Cui Petrus ait, "Sine mora scies nos veraces esse Christi discipulos, hunc autem non esse Christum, sed magum, et maleficum." Imperator dixit, "Adhuc perseveratis in mendacio? ecce videtis eum cœlum penetrare." Nunc Petrus ad Paulum dixit, "Paule, erige caput, et vide." Quumque elevâsset caput Paulus, lacrymis plenum, et vidisset Simonem volantem, sic ait, "Petre, quid cessas? perfice, quod cœpisti, jam enim nos vocat Dominus noster Jesus Christus." Et Nero, audiens eos, subridens dixit, "Jam isti vident se victos, modo delirant." Petrus respondit, "Modo probabis nos non delirare." Paulus ait Petro, "Celerius fac, quod facturus es." Et aspiciens contra Simonem Petrus dixit, "Adjuro vos, angeli Sathanæ, qui eum in aera fertis ad decipienda hominum infidelium corda, per Deum Creatorem omnium, et per Jesum Christum, ut eum ex hac hora jam non feratis, sed dimittatis!" Ft continuo dimissus cecidit in locum, qui Sacra Via dicitur, et in quatuor partes fractus quatuor silices adunavit, qui sunt ad testimonium

victoriæ apostolorum usque in hodiernum diem.

Tunc ad sonitum ejus quomodo crepuit, levavit Paulus caput, et dixit, "Gratias tibi agimus, Domine Jesu Christe, qui nos exaudîsti, et Simonem magum detexisti, et nos in veritate tuos discipulos comprobâsti." Tunc Nero ira magna plenus teneri fecit Petrum et Paulum in vinculis; corpus autem Simonis jussit diligenter tribus diebus et tribus noctibus custodire, putans eum resurgere tertia die. Cui Petrus dixit, "Erras, imperator, hic jam non resurget, quoniam vere mortuus est, et in æterna pœna damnatus." Cui Nero respondit, "Quis te permisit tale scelus perpetrare?" Petrus respondit, "Contentio ejus; et si intelligas, multum est ei præstitum ut periret, ne tantas Deo ad multiplicationem supplicii sui inferret blasphemias." Nero dixit, "Suspecto animo me fecistis, ideoque malo exemplo vos perdam." Petrus respondit, "Non quod tu vis, sed quod promissum est nobis necesse est consummari." Tunc ira repletus Nero dixit ad præfectum suum Agrippam, "Istos homines irreligiosos necesse est male perdere, et ideo cardis ferreis acceptis, jube eos in naumachia consumi; oportet enim omnes hujuscemodi homines male consummari." Agrippa præfectus dixit, "Sacratissime imperator, non congruenti exemplo jubes eos puniri." Nero dixit, "Quare non congruenti?" Agrippa dixit, "Quoniam Paulus innocens videtur: Petrus autem, quia homicidii reus est, pœna amara patiatur." Nero dixit, "Ergo quo exemplo peribunt?" Agrippa dixit, "Ut mihi videtur, justum est Paulo irreligioso caput amputari; Petro autem eo quod insuper homicidium perpetraverit, jube eum in cruce levari." Nero dixit, "Optime judicâsti;" et confestim deducti sunt Petrus et Paulus

ante conspectum Neronis. Paulus decollatus est in via Ostiense. Petrus autem dum venisset ad crucem, ait, "Quoniam Dominus meus Jesus Christus de cœlo ad terram descendit, recta cruce sublimatus est; me autem, quem de terra ad cœlum vocare dignatur crux mea, caput meum in terra debet ostendere, et pedes ad cœlum dirigere. Ergo, quia non sum dignus in cruce ita esse sicut Dominus meus, girate crucem meam, et capite dimerso crucifigite me." At illi verterunt crucem, et pedes ejus sursum fixerunt, manus autem deorsum. Convenit autem ibi innumerabilis populi multitudo maledicentes Cæsarem Neronem, ita furore pleni, ut vellent ipsum Neronem incendere. Petrus autem prohibebat eos dicens, "Nolite, filioli, nolite quæso hoc agere, sed magis, quod loquor auscultate. Ante paucos enim dies rogatus a fratribus abscedebam hinc, et occurrit mihi in via Dominus meus Jesus Christus ad portam hujus urbis, et adoravi eum, et dixi, Domine quo vadis? et dixit mihi, sequere me, quia vado Romam iterum crucifigi. Et dum sequerer eum, redii Romam, et dixit mihi, Noli timere, quia tecum sum, quousque introducam te in domum Patris mei. Et ideo, filioli, nolite impedire iter meum. Jam pedes mei viam cœlestem ambulant. Nolite tristari, sed gaudete mecum, quia hodie fructum laborum meorum consequor." Et hæc quum dixisset, ait, "Gratias tibi ago, Pastor bone, quia oves, quas mihi tradidisti, compatiuntur mihi. Peto ut participent mecum de gratia tua. Commendo tibi oves, quas mihi credidisti, ut non sentiant sine me esse, qui te habent, et oro ut semper auxilio tuo protegantur, Domine Jesu Christe, per quem ego gregem hunc regere potui;" et hæc dicens emisit spiritum.

Statim apparuerunt ibi viri Sancti quos nemo unquam viderat ante, nec postea videre potuerunt; isti enim dicebant se propter ipsos de Hierosolymis advenisse; et ipsi una cum Marcello illustri viro, qui crediderat, et relinquens Simonem, Petrum sequutus fuerat, abstulerunt corpus ejus occulte, et posuerunt eum ad terebinthum juxta Naumachiam in locum, qui appellatur Vaticanus. Ipsi autem viri qui se de Hierosolymis dixerunt advenisse, dixerunt ad populum, "Gaudete, et exultate quia patronos magnos habere meruistis, et amicos Domini nostri Jesu Christi. Sciatis autem hunc Neronem pessimum post necem apostolorum regnum tenere non posse."

Accidit autem post hæc, ut odium exercitus sui, et odium populi Romani Nero incurreret, ita enim statuerunt hoc, ut publice catomo tamdiu cæderetur, quousque ut erat mortuus expiraret. Quod quum pervenisset ad eum hoc consilium, irruit in eum tremor, et metus intolerabilis, et ita fugit, ut ulterius non appareret. Extiterunt autem, qui dicerent, quod in silvis dum erraret fugiens ex frigore nimio, et fame diriguisset, et a lupis esset devoratus. Sanctorum autem apostolorum Petri et Pauli corpora, dum a Græcis tollerentur in orientem ferenda, extitit terræmotus nimius, et cucurrit populus Romanus, et comprehenderunt eos in locum, qui dicitur Catacumba, via Appia milliario tertio, et ibi custodita sunt corpora anno uno, et mensibus septem, quousque fabricarentur loca, in quibus fuerunt posita corpora eorum, et illic cum debito reverentiæ honore, et laudibus hymnorum considerentur. . Et positum est beatissimi Petri corpus in Vaticano Naumachiæ et sancti Pauli in via Ostiensi milliario secundo. Ubi præstantur beneficia orationum eorum assidue fideliter

poscentibus, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui vivit, et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Ego Marcellus, discipulus Domini mei apostoli Petri, quæ vidi scripsi.

XVII. LIBELLUS
A MULIERE HÆMORRHOUSA HERODI OBLATUS.

Σεβαστῷ Ἡρώδῃ, τοπάρχῃ, καὶ θεσμοδότῃ Ἰουδαίων τε, καὶ Ἑλλήνων, βασιλεῖ τῆς Τραχωνίτιδος χώρας, ἱκεσίας δεήσεις παρὰ Βερονίκης, ἀξιωματικῆς πόλεως Πανεάδος.

Δικαιοσύνη, καὶ φιλανθρωπία, καὶ αἱ λοιπαὶ τῶν ἀρετῶν πασῶν περιστέφουσι τὴν ἡμετέραν θείαν κορυφήν. Ὅθεν κἀγὼ ταῦτα εἰδυῖα, ἧκον σὺν ἀγαθαῖς ταῖς ἐλπίσι, πάντως τῶν αἰτουμένων τευξομένη. Τίς δὲ ἡ τοῦ παρόντος προοιμίου κρηπὶς, προϊὼν ὁ λόγος σὲ διδάξει. Ἐκπαιδόθεν ληφθεῖσα πάθει αἱμοῤῥοίας, ὀχετῶν εἰς ἰατροὺς καταναλῶσά μου τὸν βίον, καὶ τὸν πλοῦτον· καὶ ἴασιν οὐχ ηὗρον. Ἀκηκουῖα δὲ τοῦ θαυμαζομένου Χριστοῦ τὰ ἰάματα, ὃς νεκροὺς ἐξανίστησι, καὶ τυφλοὺς πάλιν εἰς φάος ἕλκων, καὶ δαίμονας ἐκ βροτῶν ἀπελαύνων, καὶ πάντας τοὺς ἐν νόσοις μαραινομένους, λόγῳ θεραπεύει· πρὸς αὐτὸν οὖν κἀγὼ, ὡς πρὸς Θεὸν, ἔδραμον. Καὶ προσεσχηκυῖα τὸ περιέχον αὐτὸν πλῆθος, δειλιάσασα δὲ ἐξειπεῖν αὐτῷ καὶ τὴν ἀήττητόν μου νόσον, μή πως τὸν μολυσμὸν τοῦ πάθους ἀποστρεφόμενος, ὀργισθῇ κατ' ἐμοῦ, καὶ πλέον μοὶ ἐπέλθῃ ἡ πληγὴ τῆς νόσου· καθ' ἐμαυτὴν ἐλογισάμην, ὅτι, εἰ δυνηθείην ἅψασθαι τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ, πάντως ἰαθήσομαι· καὶ λάθρα εἰς τὸ περὶ αὐτὸν εἰσδύνασα πλῆ-

θος, ἐσύλησα τὴν ἴασιν, τοῦ κρασπέδου αὐτοῦ ἀψαμένη· καὶ σταλείσης μου τῆς πηγῆς τοῦ αἵματος, γέγονα παραχρῆμα ὑγιής. Αὐτὸς δὲ μᾶλλον, ὡς προγνοὺς τῆς ἐμῆς καρδίας τὸ βούλευμα, ἀνέκραξε, "Τίς μου ἥψατο; δύναμις γὰρ ἐξῆλθεν ἀπ' ἐμοῦ." Ἐγὼ δὲ ὠχριῶσα, καὶ στένουσα, τὴν νόσον θρασυτέραν ὑποστρέφειν ἐπ' ἐμὲ λογιζομένη, προσπεσοῦσα αὐτῷ, τὴν γῆν ἐπλήρωσα δακρύων, τὴν τόλμαν ἐξειποῦσα. Ὁ δὲ, ὡς ἀγαθὸς, σπλαγχνισθεὶς ἐπ' ἐμὲ, ἐπεσφράγισε μοι τὴν ἴασιν, εἰρηκώς· "Θάρσει θύγατερ, ἡ πίστις σου σέσωκέ σε· πορεύου εἰς εἰρήνην." Οὕτως καὶ ὑμεῖς, Σεβαστοὶ, τὴν δέησιν ὀξεῖαν τῇ δεομένῃ παράσχετε.

XVIII. EPISTOLÆ PAULI ET SENECÆ AMŒBÆÆ.

1. *Paulo Annæus Seneca salutem.*

Credo tibi, Paule, nunciatum, quod heri cum Lucilio nostro de apocrisi et aliis rebus habuimus; erant enim quidam disciplinarum tuarum comites mecum. Nam in hortos Sallustianos secesseramus, quo in loco occasione nostra alio tendentes hi, de quibus dixi, nobis adjuncti sunt. Certe quod tui præsentiam optamus, et hoc scias, volo: libello tuo lecto, id est de plurimis literis aliquas epistolas, quas ad aliam civitatem seu caput provinciæ direxisti, mira exhortatione vitam moralem continentes, usque refecti sumus. Quos sensus non puto

ex te dictos, sed per te, certe aliquando ex te et per te; tanta enim majestas earum est rerum, tantaque generositate clarent, ut vix suffecturas putem ætates hominum, quibus institui perficique possint. Bene te valere frater cupio. Vale.

2. *Paulus Senecæ Salutem.*

Literas tuas hilaris heri accepi: ad quas rescribere statim potui, si præsentiam juvenis, quem ad te missurus eram, habuissem. Scis enim, quando et per quem, et quo tempore, et cui quid dari committique debeat. Rogo ergo, ne te putes neglectum, dum personæ qualitatem inspicio, sed quod literis meis vos refectos scribis, felicem me arbitror tanti viri judicio. Neque enim diceris censor, sophista ac magister tanti principis et etiam omnium, nisi quia vera dicis. Opto te diu bene valere.

3. *Paulo Annæus Seneca Salutem.*

Quædam volumina ordinavi, et divisionibus suis statum eis dedi. Ea quoque legere Cæsari sum destinatus, et si modo sors prospere annuerit, eris forsitan et tu præsens. Sin, alias reddam tibi diem, ut invicem hoc opus inspiciamus. Decreveram non prius edere ei hanc scripturam, nisi prius tecum conferrem, si modo impune hoc fieri potuisset: ut scires, et te non præteriri. Vale, Paule carissime.

4. *Paulus Senecæ Salutem.*

Quotiescunque literas tuas audio, præsentiam tui cogito, nec aliud existimo, quam omni tempore te nobiscum esse. Quum primum itaque venire cœperis invicem nos et de proximo videbimus. Bene te valere opto.

5. *Paulo Annæus Seneca Salutem.*

Nimio tuo angimur secessu. Qui est, vel quæ res te remoratum faciunt? si indignatio Domini, quod a ritu et secta veteri recesseris, et alios rursus converteris: erit postulandi locus, ut ratione factum, non levitate hoc existimet. Vale.

6. *Paulus Senecæ et Lucilio Salutem.*

De his, quibus vel quæ mihi scripsistis, non licet harundine et atramento eloqui, quarum altera res notat, et designat aliquid, altera evidenter ostendit: præcipue, quum sciam inter vos esse, sicut apud nos, et in nobis, qui me intelligunt. Honor habendus est omnibus et tanto magis his, qui indignandi occasionem captant: quibus si patientiam ostendemus, omni modo eos ex quacunque parte vincemus, si modo hi sunt, qui pœnitentiam sui gerant. Bene valete.

7. *Paulo Annæus Seneca Salutem.*

Profiteor, bene me acceptum in lectione litterarum tuarum, quas Galatis, Corinthiis et Achæis misisti. Spiritus enim Sanctus in te, et supra te excelsos et sublimiores valdeque venerabiles sensus exprimit. Vellem itaque quum res eximias proferas, ut majestati earum cultus sermonis non desit. Et ne quid tibi, frater, surripiam aut conscientiæ meæ debeam; confiteor Augustum sensibus tuis permotum: cui, lecto literarum tuarum exordio, hæc vox fuit: Mirari eum posse, ut, qui non legitime imbutus sit, taliter sentiat. Cui ego respondi, solere deos ore innocentium effari, addens ei exemplum Varinii hominis rusticuli; cui quum duo viri apparuissent in agro Reatino, qui Castor et Pollux sunt nominati, divinitus instructus fuit. Vale.

8. *Paulus Senecæ Salutem.*

Licet non ignorem, Cæsarem nostrarum rerum

admiratorem et amatorem esse, permittes tamen te non lædi, sed admoneri. Puto enim te graviter fecisse, quod in notitiam perferre voluisti, quod ritui et disciplinæ ejus sit contrarium, quum et ille gentium Deos colat. Quid tibi visum sit, ut hoc eum scire velles, non video. Sed nimio amore meo facere te hoc existimo. Rogo te de futuro, ne id agas. Cavendum est enim, ne, dum me diligis, offensam Domino facias: cujus quidem offensa nec oberit si perseveravit, neque si non sit, proderit. Si est regina, non indignabitur; si mulier est, offendetur. Bene vale.

9. *Paulo Annæus Seneca Salutem.*

Scio te non tam mei causa commotum literis: quas ad te de editione epistolarum tuarum Cæsari feci, quam natura rerum: quæ ita mentes hominum ab omnibus artibus et moribus revocat, ut non hodie admirer: quippe ut is qui multis documentis hoc jam notissimum habeam. Igitur nove agamus, tu, si quid facile in præteritum actum est, veniam irrogabis. Misi tibi librum de verborum copia. Vale, Paule charissime.

10. *Paulus Senecæ Salutem.*

Quoties tibi scribo et nomen meum tibi præfero, gravem et sectæ meæ incongruam rem facio: debeo enim, ut sæpe professus sum, cum omnibus omnia esse, et idem observare in tuam personam, quod lex Romana honori Senatus concesserit, scilicet in epistola ultimum locum eligere, ne cum aporia et dedecore cupiam efficere, quod mei arbitrii fuerit. Vale devotissime magister. Data quinto calendarum Julii, Nerone IV et Messala consulibus.

11. *Paulo Annæus Seneca Salutem.*

Ave, mi Paule charissime. Si mihi nominique meo

vir tantus et dilectus omnibus modis, non dico fueris junctus sed necessario mixtus: apte actum erit de Seneca tuo. Quum sis igitur vertex, et altissimorum omnium montium cacumen, haud te indignum in prima facie epistolarum nominandum censeas, ne tam tentare, quam ludere videaris, quippe quum scias, civem esse te Romanum. Nam qui meus, tuus apud te locus, qui tuus, velim ut meus. Vale, Paule charissime. Data X Cal. Aprilis, Aproniano et Capitone Consulibus.

12. *Paulo Annæus Seneca Salutem.*

Ave, mi Paulo charissime. Putasne me haud contristari, et non luctuosum esse, quod de innocentia vestra subinde sumatur supplicium? Dehinc quod tam obnoxios vos reatui omnis populus judicet, putans a vobis effici, quod in urbe contrarium fit? Sed feramus æquo animo, ut utamur foro quod sors concessit, donec invicta felicitas finem malis imponat. Tulit et priscorum ætas Macedonem Philippi filium et Dionysium: nostra quoque Caium Cæsarem: quibus, quicquid libuit, licuit. Incendium urbs Ramana unde sæpe patiatur, manifeste constat, sed si effari humilitas humana potuisset, quid causæ sit, et impune in his tenebris loqui liceret, jam omnes omnia viderent. Christiani et Judæi quasi machinatores incendii supplicio affici solent. Grassator iste quisquis est, cui voluptas carnificina est, et mendacium velamen, tempori suo destinatus est, et sicut optimi cujusque caput pro uno donatur capite, ita unum pro multis dabitur caput et hic devotus pro omnibus igni cremabitur: centum triginta duæ domus insulæ quatuor sex diebus arsere: septimus pausam dedit. Bene te valere opto. Data quinto Cal. April. Frugi et Basso Consulibus.

13. *Paulo Annæus Seneca Salutem.*

Ave, mi Paule charissime. Allegorice et ænigmatice multa a te usquequaque opera conduntur, et ideo rerum tanta vis et muneris tibi tributa; non ornamento verborum sed cultu quodam decoranda est. Sæpius te dixisse retineo, multos, qui talia affectent, sensus corrumpere et rerum virtutes evirare. Cæterum hoc mihi concedas velim, latinitati morem gere, honestis vocibus speciem adhibe, ut generosi muneris concessio digne a te possit expediri. Bene vale. Data V Nonas Julii, Leone et Savino Consulibus.

14. *Paulus Senecæ Salutem.*

Perpendenti tibi ea sunt revelata, quæ paucis divinitas concessit. Certus igitur ego in agro jam fertili semen fortissimum fero, non quidem materiam, quæ corrumpi videtur, sed verbum stabile Dei derivamentum crescentis et manentis in æternum. Quod prudentia tua assequuta est, indeficiens ferre debebit. Ethnicorum Israelitarumque observationes censeto vitandas. Quæ propemodum adeptus es, Regi temporali ejusque domesticis atque fidis amicis insinuabis. Quibus etsi aspera et incaptabilis erit persuasio tua, quum plerique eorum minime flectantur insinuationibus tuis: sermo tamen Dei instillatus novum in his hominem pariet ad Deum hinc properantem. Vale, Seneca charissime nobis. Data Cal. Augusti, Leone et Savino Consulibus.

XIX. EPISTOLA CORINTHIORUM AD PAULUM APOSTOLUM.

Stephani, et qui cum eo presbyteri, Nemenus, Eubulus, Theophilus, et Nomeson, Paulo fratri salutem.

Homines quidem Corinthum venerunt Simon et Clobeus nomine, qui nonnullorum fidem vehementer movent persuasoriis et corrumpentibus verbis, quibus tu per temetipsum occurrere debes. Nos enim neque abs te, neque ab aliis apostolis, hujus modi verba audivimus: sed id unum scimus, quicquid a te et ab aliis accepimus, id constanter servavimus. Ea vero in re valde nostri Deus misertus est, quod tu adhuc in corpore nobiscum versaris, teque denuo audituri simus. Quam primum igitur ad nos scribe quid certo tenendum sit, vel ipse cito veni ad nos. Nos in Dominum credimus, eum sese manifesta apparitione demonstrâsse, eaque nos e manibus iniqui liberâsse. Eorum vero verba erronea sunt; aiunt enim nihil opus esse legere prophetas; Deum non esse omnipotentem; nullam fore mortuorum resurrectionem; carnem nullo pacto a Deo esse creatam; Jesu Christi corpus e Maria Virgine natum non esse; denique mundum non esse creaturam Dei, sed angeli cujusdam. Itaque, frater, da operam, ut cito ad nos venias, ut sine offensione maneat Corinthiorum civitas, et eorum insipientia palam coram omnibus diffamata, removeatur, Vale in Domino.

XX. EPISTOLA PAULI AD CORINTHIOS TERTIA.

Paulus vinctus Jesu Christi, fratribus Corinthiis variis confessionibus exagitatis, Salutem.

Nihil miror tam celeriter accurrere improbitatis persuasores: quum enim Dominus Jesus cito perfecturus sit adventum suum, sunt qui permutent et despiciant ejus mandata. Ego vero ab initio id ipsum vos docui quod a prioribus apostolis accepi, qui perpetuo cum Domino conversati sunt. Dico ergo Dominum Jesum e Maria Virgine e semine David natum esse, secundum id quod Spiritus Sanctus e cœlo a Patre in eam missus annuntiaverat, ut videlicet Jesus in mundo conversaretur, et carne sua omnem carnem liberaret, nosque suscitaret a mortuis, cujus resurrectionis se ipsum exemplar ostendit. Præterea manifestum est hominem a Patre esse creatum idcircoque in perditione haud ita relictum esse, quin ulterius perquireretur; perquisitus est enim, ut per adoptionem filialem vitam obtineret. Nam Deus, qui Dominus est omnium et Pater Domini nostri Jesu Christi, primum misit prophetas ad Judæos, ut eos a peccatis abstraheret, et ad justitiam adduceret. Quum enim vellet domum Israelis servare, e Spiritu suo largitus est et misit in prophetas, qui cultum Dei, nulli errori obnoxium, et (Christi) nativitatem diuturno tempore prædicârunt.

XXI. S. PAULI EPISTOLA AD LAODICENSES.

1 *Paulus apostolus non ab hominibus neque per hominem
sed per Jesum Christum, fratribus qui estis Laodiceæ.*

2 Gratia vobis et pax a Deo Patre et Domino
nostro Jesu Christo. 3 Gratias ago Christo per om-
nem orationem meam, quod permanentes estis et
perseverantes in operibus bonis, promissionem expe-
ctantes in die judicii. 4 Neque disturbent vos quor-
undam vaniloquia insimulantium veritatem, ut aver-
tant a veritate Evangelii quod a me prædicatur. 5 Et
nunc faciet Deus ut qui sunt ex me perveniant ad
profectum veritatis Evangelii, sint deservientes et
benignitatem operum facientes quæ sunt salutis vitæ
æternæ. 6 Et nunc palam sunt vincula mea quæ
patior in Christo, in quibus lætor et gaudeo. 7 Scio
enim quod hoc mihi est ad salutem perpetuam, quod
ipsum factum est ex orationibus vestris administrante
Spiritu Sancto. 8 Sive per vitam sive per mortem,
est mihi vivere vita in Christo, et mori gaudium.
9 Et ipse Dominus noster in vobis faciet misericordiam
suam, ut eandem dilectionem habeatis et sitis unanimes.
10 Ergo, dilectissimi, ut audìstis præsentiam Domini, ita
sentite, et facite in timore Domini, et erit vobis vita in
æternum. 11 Est enim Deus qui operatur in vobis. 12 Et
facite sine peccato quodcunque facitis. 13 Et quod opti-
mum est, dilectissimi, gaudete in Domino Jesu Christo,
et cavete omnes sordes in omni lucro. 14 Omnes peti-
tiones vestræ sunt palam apud Deum, et estote firmi
in sensu Christi. 15 Et quæ integra, et vera et pudica

et casta et justa et amabilia sunt, facite. 16 Et quæ
audiistis et accepistis, in corde retinete, et erit vobis
pax. 17 Salutate omnes fratres in osculo sancto.
18 Salutant vos omnes sancti. 19 Gratia Domini nostri
Jesu Christi cum Spiritu vestro. Amen. 20 Facite
hanc epistolam legi Colossensibus, et eam quæ est
Colossensium, vobis.

Ad Laodicenscs scripta fuit e Roma per Tychicum et Onesimum.

XXI. EPISTOLA PETRI AD JACOBUM.

Πέτρος Ἰακώβῳ τῷ κυρίῳ καὶ ἐπισκόπῳ τῆς ἁγίας ἐκκλησίας ἀπὸ τοῦ τῶν ὅλων Πατρὸς δία Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐν εἰρήνῃ πάντοτε.

Εἰδώς σε, ἀδελφέ μου, εἰς τὸ κοινῇ πᾶσιν ἡμῖν συμφέρον σπεύδοντα προθύμως, ἀξιῶν καὶ δέομαι, τῶν ἐμῶν κηρυγμάτων ἃς ἔπεμψά σοι βίβλους μηδενὶ τῶν ἀπὸ τῶν ἐθνῶν μεταδοῦναι, μήτε ὁμοφύλῳ πρὸ πείρας. Ἀλλ' ἐάν τις δοκιμασθεὶς ἄξιος εὑρεθῇ, τότε αὐτοῦ κατὰ τὴν ἀγωγὴν παραδοῦναι, καθ' ἣν καὶ τοῖς ἑβδομήκοντα ὁ Μωϋσῆς παρέδωκε τοῖς τὴν καθέδραν αὐτοῦ παρειληφόσιν. Διὰ τοῦτο καὶ ὁ καρπὸς τῆς ἀσφαλείας μέχρι τοῦ δεῦρο φαίνεται. Τὸν γὰρ αὐτὸν οἱ πανταχῇ ὁμοεθνὰ τῆς μοναρχίας καὶ πολιτείας φυλάσσουσι κανόνα. Κατὰ μηδένα τρόπον ἄλλως φρονεῖν ὑπο τῶν πολλὰ νευουσῶν γραφῶν ἐξοδευθῆναι δυνηθέντες. Κατὰ γὰρ τὸν παραδοθέντα αὐτοῖς κανόνα τὰ τῶν γραφῶν ἀσύμφωνα πειρῶνται μεταῤῥυθμίζειν, εἰ δή τις τυχὸν μὴ εἰδὼς τὰς παραδόσεις, ναρκᾷ πρὸς τὰς τῶν προφητῶν πολυσήμους φωνὰς, οὗ ἕνεκεν οὐδενὶ διδάσκειν ἐπιτρέπουσιν, ἐὰν μὴ

πρότερον μάθαι, πῶς δεῖ ταῖς γραφαῖς χρῆσθαι. Διὰ τοῦτο παρ' αὐτοῖς εἷς Θεὸς, εἷς νόμος, μία ἐλπίς.

Ἵνα γοῦν τὸ ὅμοιον καὶ παρ' ἡμῖν γένηται τοῖς ἑβδομήκοντα, ἡμῶν ἀδελφοῖς τὰς βίβλους μου τῶν κηρυγμάτων δὸς μετὰ τοῦ ὁμοίου τῆς ἀγωγῆς μυστηρίου, καὶ τοὺς βουλομένους τὸ τῆς διδασκαλίας ἀναδεξάσθαι μέρος, ἐφοδιήζωσιν. Ἐπεὶ ἐὰν μὴ οὕτως γένηται, εἰς πολλὰς γνώμας ὁ τῆς ἀληθείας ἡμῶν διαρεθήσεται λόγος. Τοῦτο δὲ οὐχ ὡς ὁ προφήτης ὢν ἐπίσταμαι ἀλλ' ἤδη αὐτοῦ τοῦ κακοῦ τὴν ἀρχὴν ὁρῶν. Τινὲς γὰρ τῶν ἀπὸ ἐθνῶν, τὸ δὶ ἐμοῦ νόμιμον ἀπεδοκίμασαν κήρυγμα, τοῦ ἐχθροῦ ἀνθρώπου ἄνεμόν τινα καὶ φλυαρώδη προσηκάμενοι διδασκαλίαν. Καὶ ταῦτα ἔτι μου περιόντος ἐπεχείρησάν τινες ποικίλαις τισιν ἑρμηνείαις τοὺς ἐμοὺς λόγους μετασχηματίζειν εἰς τὴν τοῦ νόμου κατάλυσιν, ὡς καὶ ἐμοῦ αὐτοῦ οὕτω μὲν φρονοῦντος, μὴ ἐκ παῤῥησίας δὲ κηρύσσοντος. Ὅπερ ἀπείη. Τὸ γὰρ τοιοῦτο, ἀντιπράσσειν ἐστὶ τῷ τοῦ θεοῦ νόμῳ, τῷ διὰ Μωϋσέως ῥηθέντι, καὶ ὑπὸ τοῦ Κυρίου ἡμῶν μαρτυρηθέντι, περὶ τῆς ἀϊδίου αὐτοῦ διαμονῆς. Ἐπεὶ οὕτως εἶπεν, Ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται, ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία οὐ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τοῦ νόμου. Τοῦτο δὲ εἴρηκεν, ἵνα τὰ πάντα γίνηται. Οἱ δὲ οὐκ οἶδα πῶς τὸν ἐμὸν νοῦν ἐπαγγελλόμενοι, οὓς ἤκουσαν ἐξ ἐμοῦ λόγους, ἐμοῦ τοῦ εἰπόντος αὐτοὺς φρονιμώτερον ἐπιχειροῦσιν, λέγοντες τοῖς ὑπ' αὐτῶν κατηχουμένοις, τοῦτο εἶναι τὸ ἐμὸν φρόνημα, ὃ ἐγὼ οὐδὲ ἐνεθυμήθην. Εἰ δὲ ἐμοῦ ἔτι περιόντος τοιαῦτα τολμῶσιν καταψεύδεσθαι πόσῳ γε μᾶλλον μετ' ἐμὲ ποιεῖν, οἱ μετ' ἐμὲ ποιήσουσιν;

Ἵνα οὖν μὴ τοιοῦτόν τι γένηται, τούτου ἕνεκα ἠξίωσα καὶ ἐδεήθην, τῶν ἐμῶν κηρυγμάτων ἃς ἔπεμψά σοι βίβλους, μηδενὶ μεταδοῦναι, μήτε ὁμοφύλῳ, μήτε ἀλλοφύλῳ πρὸς πείρας. Ἀλλ' ἐάν τις δοκιμασθεὶς ἄξιος εὑρεθῇ, τότε αὐτοῦ κατὰ τὸν Μωϋσέως ἀγωγὴν παραδοῦναι, καθ' ἣν τοῖς ἑβδομήκοντα παρέδωκεν τοῖς τὴν καθέδραν αὐτοῦ παρειληφόσιν ἵνα οὕτως τὰς πίστας φυλάξωσιν, καὶ πανταχῇ τὸν τῆς ἀληθείας κανόνα παραδῶσιν. ἑρμηνεύοντες τὰ πάντα πρὸς τὴν παράδοσιν ἡμῶν, καὶ μὴ αὐτοὶ ὑπὸ ἀμαθείας κατασπώμενοι, ὑπὸ τῶν κατὰ τὴν ψυχὴν στοχασ-

μῶν εἰς πλάνην ἑλκόμενοι ἄλλους εἰς τὸν ὅμοιον τῆς ἀπωλείας ἐνέγκωσιν βόθυνον. Καὶ τὰ μὲν ἐμοὶ δόξαντα καλῶς ἐσήμανά σοι· τὸ δέ σοι δοκοῦν, κύριέ μου, πρεπόντως ἐπιτέλει. Ἔρρωσο.

XXII. EPISTOLÆ SANCTI JOHANNIS ET HYDROPICI.

1.
Hydropici ad Johannem.

Apostole Christi Joannes, ego infelicissimus obsecro te ut mei miserearis in hac mea infirmitatis necessitate.

2. *Johannis ad Hydropicum.*

Homini hydropico Joannes Christi servus et apostolus salutem.—Postulas a me tuæ infirmitatis opem, et in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ab infirmitate tua dimittaris, et esto sanus.

XXIII. FRAGMENTA APOSTOLORUM A STEPH. PRÆTORIO EDITA.

Paulus qui dulcissimis lacrymis et altis suspiriis amantissimum suum Jesum semper prosequutus est, ad Nicetam quendam dixit, "Non vi, nec munere hominum, nec merito operum, sed sola Dei liberalitate salus acquiritur per fidem Jesu." Item, "Salutis initium ex Deo est, non ex homine. Idcirco Deus occasionem dat unicuique electo ut ingrediatur januam vitæ." Ad Clementem sic dixit, "Ne refuge suscipere ecclesiæ gubernacula peccati periculo deterritus. Quin potius statue, te plus peccare, si

populum Dei in mediis fluctibus periclitantem, quum possis juvare tua opera destituas. Si autem pro omnium salute invigilabis, pro omnium salute præmia accipies." Ad eundem, "Impietatis crimen est, neglectis verbi Dei studiis sollicitudines suscipere seculares." Ad Albini conjugem et alios fratres, "Fugiendum censetis, ut mortem declinemus, quam multis suspiriis ut ingressum vitæ expetivimus." Et moriens, "Salve crux quæ quotidie carnes agni immaculati fidelibus populis dividis, et serpentis dira venena poculo salutari depellis. Obsecro autem vos salutis meæ ministros, ut crucifigentes me, caput meum deorsum, pedes autem sursum levetis."

Paulus, vir brevis staturæ, nasi aquilini, angelici vultus, in cœlo edoctus, ad Plantillam Romanam moriturus dixit, "Vale, Plantilla, æternæ salutis plantula, et intellige nobilitatem tuam. Super nivem enim es dealbata, et in seriem Christi militum descripta, et cœlestis regni hæres effecta."

In *Apollo* tanta Spiritus S. gratia inerat, ut quos sermone tangeret, statim ardorem fidei amoris Dei, ac desiderii cœlestis in iis excitaret.

Barnabas veritatis ac pacis sermones semper habuit.

Thomas circuivit civitates, prædicavit verbum salutis, abundanter bona largitus est pauperibus. Dixit ad credentes, "Parati estote ut sanctificemini, ut loti aqua sacri fontis, regni æterni participes efficiamini. Innumerabilia enim sunt in cœlo palatia instructa, quæ pretio fidei comparantur." Ad filiam regis Indorum, "Fides," inquit, "est possessio omnium bonorum, Virginitas autem præcipuus est salutis æternæ fructus." Fulmine attonitos et prostratos ita consolatus est, "Surgite credentes, quia vos Dominus meus Jesus Christus salvos fecit, et ab omni ira ac læsione vindicavit."

Matthæus loquutus est ad populum de lapsu et

reparatione generis humani, nec non de ingenti felicitate novi paradisi.

Simon et *Judas* ad ducem Africanum, "Si genus quæris, Hebræi sumus; si conditionem, servi Jesu Christi; si causam, salutis vestræ causa huc venimus, ut relicto errore simulacrorum, Deum verum qui in cœlis est agnoscatis et salvi fiatis." Ad eundem, "Non licet nobis aliqua possidere in terra, quia nostra possessio est in cœlo. Nostrum testamentum est: *Non relinquam vos orphanos.*" Satellites ad ducem: "Noli credere his advenis ignotis et pannosis, quos videre vel audire injuria est." Quibus apostoli, "Ne offendat vos habitus noster vilis. Intus enim latet quod æternam gloriam et vitam vobis afferre possit." Simon moriturus, "Video," inquit, "Domini mei aspectum in medio angelorum."

Ex Cratone horum apostolorum discipulo: Bartholomæus pallio albo incessit, ornatus annulis ac gemmis, semper hilaris, eodem vultu. Centies flexis genibus interdiu, centies noctu Deum invocavit. Omnium gentium linguas intellexit et loquutus est, Verbum Spiritus vitæ prædicavit in Lycaonia, ubi ab impiis decoriatus est ad modum follis.

XXIV. EPISTOLÆ IGNATII ET BEATÆ VIRGINIS MARIÆ.

1.

Johanni sancto seniori Ignatius et qui cum eo sunt fratres.

De tua mora dolemus graviter, alloquutionibus et consolationibus tuis roborandi. Si absentia tua protendatur, multos de nostris destituet. Properes

igitur venire, quia credimus expedire. Sunt et hic multæ de nostris mulieribus Mariam Jesu videre cupientes, et discurrere a nobis quotidie volentes, ut eam contingant et ubera ejus tractent qui Dominum Jesum aluerunt, et quædam secretiora ejus percunctentur ipsam .S. et Salome quam diligis filiam Annæ, Hierosolymis quinque mensibus apud eam commorantes.

Et quidem alii noti referunt eam Mariam omnium gratiarum abundam et omnium virtutum fœcundam. Et, ut dicunt, in persequutionibus et afflictionibus est hilaris, in penuriis et indigentiis non querula, in injuriantibus grata, et molesta lætatur: miseris et afflictis coafflicta condolet, et subvenire non pigrescit: contra vitiorum pestiferos insultus impugna fide discooperta tum enitescit. Nostræ novæ religionis est magistra: et apud fideles omnium operum pietatis ministra. Humilibus quidem est devota, et devotis devotius humiliatur; et mirum ab omnibus magnificatur, quum a Scribis et Pharisæis ei detrahatur.

Præterea et multi multa nobis referunt de eadem. Tamen omnibus per omnia non audemus fidem concedere, nec tibi referre; sed sicut nobis a fide dignis narratur in Maria Jesu humanæ naturæ natura sanctitatis angelicæ sociatur. Et hæc talia excitaverunt in sancta nostra: et cogunt valde desiderare aspectum hujus, si fas sit fari, prodigii et sanctissimi monstri. Tu autem diligenti modo disponas cum desiderio nostro, et valeas. Amen!

2. Alia.

Sancto Johanni seniori suus Ignatius.

Si licitum est mihi, apud te ad Hierosolymæ partes volo ascendere, et videre fideles sanctos qui ibi sunt; præcipue Mariam Jesu, quam dicunt universis admirandam et cunctis desiderabilem. Quem vero non delectet videre eam et alloqui, quæ verum Deum

Deorum peperit, si sit nostræ fidei et religionis amicus? Similiter et illum venerabilem Jacobum qui cognominatur Justus, quem referunt Christo Jesu simillimum, vita et modo conversationis, acsi ejusdem uteri frater esset gemellus: "Quem" dicunt "si videro, video ipsum Jesum secundum omnia corporis ejus lineamenta." Præterea cæteros sanctos et sanctas. Heu! quid moror? cur detineor? Bone præceptor, properare me jubeas et valeas! Amen.

3. IGNATIUS BEATÆ VIRGINI.

Christiferæ Mariæ suus Ignatius.

Me neophytum Johannisque tui discipulum confortare et consolari debueras. De Jesu enim tuo percepi mira dictu; et stupefactus sum ex auditu. A te autem quæ semper ei familiarius fuisti conjuncta et secretorum ejus conscia, desidero ex animo fieri certior de auditis. Scripsi tibi etiam alias et rogavi de eisdem. Valeas, et tui neophyti qui mecum sunt, ex te et per te et in te confortentur. Amen.

4. BEATA VIRGO IGNATIO.

Ignatio dilecto condiscipulo humilis ancilla Christi Jesu.

De Jesu quæ a Johanne audîsti et didicisti vera sunt: illa credas; illis inhæreas: et Christianitatis susceptæ votum firmiter teneas, et mores et vitam voto confirmes. Veniam autem una cum Johanne te et qui tecum sunt visere. Sta et viriliter age in fide; nec te commoveat persequutionis austeritas: sed valeat et exultet spiritus tuus in Deo salutari tuo. Amen.

5. EPISTOLA MARIÆ AD MESSANENSES.

Maria virgo, Joachim filia, humillima Dei ancilla, Christi Jesu crucifixi mater, ex tribu Juda, stirpe David, Messanensibus omnibus salutem, et Dei Patris omnipotentis benedictionem.

Vos omnes fide magna legatos ac nuncios per

publicum documentum ad nos misisse constat. Filium nostrum Dei genitum, Deum et hominem esse fatemini, et in cœlum post suam resurrectionem ascendisse, Pauli apostoli prædicatione mediante viam veritatis agnoscentes. Ob quod vos et civitatem vestram benedicimus, cujus perpetuam protectricem nos esse volumus. Anno filii nostri XLII, 3 non. Julii, Luna 17, feria quinta, ex Hierosolymis.

MARIA VIRGO.

6. Ejusdem ad Florentinos.

Florentiæ Deo et Domino Jesu Christo Filio meo et mihi dilectæ.

Tene fidem, insta orationibus roborare patientia. His enim sempiternam consequeris salutem apud Deum.

7.

Maria mater Jesu, Glaucopluto S. D.

Quod Lutherum sequutus strenue suades, supervacaneum esse invocare divos, a me quidem isto nomine bonam magnamque inisti gratiam, scito. Nam antehac tantum non enecabar improbis mortalium opplorationibus. Ab una postulabantur omnia, quasi filius meus semper infans esset, quia talis fingitur, pingiturque in sinu meo, ut ex nutu matris adhuc pendeat, neque quidquam ausit negare petenti, videlicet metuens, ne si quid neget roganti, ego vicissim ipsi negem mammam sitienti. Et nonnunquam ea petunt a virgine, quæ verecundus juvenis vix auderet petere a lena, quæque me pudet litteris committere. Interim negotiator lucri caussa navigaturus in Hispaniam, committit mihi pudicitiam suæ concubinæ. Et virgo deo sacra, abjecto velo fugam adornans, deponit apud me famam integritatis suæ, quam ipsa tendit prostituere. Occlamat mihi miles impius, et ad lanienam conductus, "Beata virgo da prædam

opimam." Occlamat aleator, "Fave diva; pars lucri tibi decidetur." Et, si parum faveat alea, me convitiis lacerant, maleque precantur, quæ non adfuerim sceleri. Occlamat, quæ quæstui turpi semet exponit, "Da proventum uberem." Si quid negem, illico reclamant, "Ergo ne sis mater misericordiæ." Aliorum vota non tam impia sunt, quam inepta. Clamat innupta: "Maria, da mihi formosum ac divitem sponsum." Clamat nupta: "Da mihi bellos catulos." Clamat gravida: "Da mihi facilem partum." Clamat anus: "Da diu vivere sine tussi sitique." Clamat senex delirus: "Da repubescere." Clamat philosophus: "Da nodos insolubiles nectere." Clamat sacerdos: "Da sacerdotium opimum." Clamat episcopus: "Serva meam ecclesiam." Clamat nauta; "Da prosperos cursus." Clamat præfectus: "Ostende mihi filium tuum antequam moriar." Clamat aulicus "Da vere confiteri in mortis articulo." Clamat rusticus: "Da tempestivam pluviam." Clamat rustica: "Serva gregem et armentum incolume." Si quid renuo, ilico sum crudelis. Si relego ad filium, audio: "Vult ille quidquid tu vis." Itane ego sola et mulier, et virgo, dabo operam navigantibus, belligerantibus, negotiantibus, ludentibus aleam, nubentibus, parturientibus, satrapis, regibus et agricolis? Atqui quod dixi, minimum est præ his quæ patior. Sed his negotiis nunc multo minus gravor: quo quidem nomine tibi gratias agerem maximas, nisi commodum hoc incommodum majus secum traheret: plus est otii, sed minus est honorum, minus est opum. Ante salutabar: "Regina cœlorum, Domina mundi:" nunc vix a paucis audio, "Ave Maria." Ante vestiebar gemmis et auro, abundabam mutatoriis, deferebantur aurea gemmeaque donaria: nunc vix tegor dimidiato palliolo, eoque corroso a muribus. Proventus autem

annui vix tantum est, ut alam miserum æditiuum, qui accendat lucernulam aut candelam sebaceam. Atque hæc tamen poterant ferri, ni majora etiam moliri dicereris. Huc tendis, ut aiunt, ut quidquid usquam est divorum, exigas ex ædibus sacris. Etiam atque etiam vide quid agas. Non deest aliis divis, quo suam ulciscantur injuriam. Ejectus e templo Petrus, potest tibi vicissim occludere regni cœlestis ostium. Paulus habet gladium. Bartholomæus cultro armatus est. Gulielmus sub pallio monachi totus armatus est, non sine gravi lancea. Quid autem agas cum Georgio, et equite et cataphracto, hasta simul et gladio formidabili? Nec inermis est Antonius; habet sacrum ignem. Sunt item et cæteris sua vel arma, vel mala, quæ quibus volunt, immittunt. Me vero quantumvis inermem, non tamen ejicies, nisi simul ejecto filio, quem ulnis teneo. Ab hoc non me patiar divelli: aut hunc una mecum extrudes, aut utrumque relinques, nisi mavis habere templum sine Christo. Hæc scire volui: tu cogita, quid mihi respondendum censeas. Nam mihi plane res cordi est. Ex æde nostra lapidea, Calendis Augusti, anno filii mei passi 1524. Virgo lapidea mea manu subscripsi.

8.

Beatæ Virginis Mariæ ad Joannem papa XXII Adloquutio.

O Joannes, O Joannes, vicarie mei dilecti Filii, veluti tuo te eripiam adversario, te Papam facio solemni dono Vicarium, meis coadjuvantibus supplicationibus dulcissimo meo Filio potens, quod gratiose obtinui. Ita gratiam et amplam meo sancto ac devoto Carmelitarum Ordini confirmationem debeas præconcedere per Eliam et Elisæum in Monte Carmeli inchoato: quod unusquisque professionem faciens, regulam a meo servo Alberto Patriarcha ordinatam observabit,

et inviolatam obtinebit, et per meum dilectum filium Innocentium approbatam, ut verus mei Filii vicarius debeat in terris assentire, quod in cœlis meus statuit semel et ordinavit Filius. Quod qui in sancta perseverabit obedientia, paupertate et castitate, vel qui sanctum intrabit Ordinem, salvabitur. Et si alii devotionis causa in sanctam ingrediantur Religionem, sancti habitus signum ferentes, appellantes se Confratres, et Consorores mei Ordinis prænominati, liberentur et absolvantur tertia eorum peccatorum portione a die quo præfatum Ordinem intrabunt: castitatem, quæ vidua est, promittendo: virginitatis, quæ virgo, est fidem præstando: si conjugata, inviolate observationem matrimonii adhibendo, ut sancta mater imperat Ecclesia. Fratres professi dicti Ordinis supplicio solvantur et culpa, et die, quo ipsi sæculo recedunt, ac properato gradu accelerant Purgatorium, ego mater gratiose descendam Sabbato post eorum obitum, et quot inveniam in Purgatorio, liberabo, et eos in Montem sanctum vitæ æternæ reducam. Verum quod ipsi Confratres et Consorores teneantur horas dicere Canoniales, ut opus fuerit secundum regulam datam ab Alberto: Illi qui ignari sunt, debeant vitam jejunam ducere iis diebus, quos sacra jubet Ecclesia: (nisi necessitatis causa, alicui essent traditi impedimento:) Mercurio et Sabbato debeant a carnibus abstinere, præterquam in mei Filii nativitate.

XXV. EPISTOLA JUDÆORUM AD FRATRES TRANSMARINOS TEMPORE JESU CRUCIFIXI MISSA.

Fratribus in regionibus transmarinis, Judæis Ulmæ in Suevia, salutem optant fratres qui sunt Hierosolymæ et in Judæa sive terra Chanaan.

Magna tribulatione liberati merito Deo gratias agimus magnopere. Significamus vobis impium seductorem Jesum Nazarenum Josephi filium sublatum e vivis esse. Quum enim non amplius blasphemias ejus ferre possemus, eum apud Prætorem Romanum accusavimus: qui, nostra accusatione audita, misericordia nostri affectus bene flagellatum crucifigendum curavit pro meritis ejus: Discipulis ejusdem ejectis et dispersis. Valete.

XXVI. LITURGIA S. JACOBI FRATRIS DOMINI, QUAM EX SYRIACA IN LATINAM LINGUAM TRANSTULIT EUSEBIUS RENAUDOT.

PRIMUM DICITUR ORATIO ANTE OSCULUM PACIS.

Domine Deus noster, nos, quamvis indignos, salute hac dignos effice, amator hominum: ut ab omni dolo, omnique acceptatione personarum mundati,

salutemus invicem in osculo sancto et divino, constricti vinculo charitatis et pacis. Per Dominum Deum et Salvatorem nostrum Jesum Christum, Filium tuum unigenitum, per quem et cum quo te decet gloria, honor et potestas, cum Spiritu tuo.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter et oremus, gratias agamus, adoremus et laudemus agnum vivum Dei qui offertur super altare. Divinitas sese demisit ad peccatores filios Adam, salvavitque illos ab errore et a servitute peccati. Spiritu sancto succensi sunt Prophetæ, et de Primogenito loquuti sunt: unusquisque illorum descripsit Ecclesiæ mysteria adventus ejus. Aperte scripsit Moses quod ipse creaturas condidit, et ipse statuit ad ministerium suum ordines ignis et spiritus. Signa Domine cruce ejus Ecclesiam, quam desponsavit in persona sua, et eleva atque constitue eam in cœlo, ad dexteram ejus qui misit illum. Beata es Ecclesia fidelis, donis quæ dedit tibi Dominus tuus, corpore et sanguine suo sancto, et cruce ejus quæ te custodit. Virginis puræ Mariæ memoriam agamus apud nos in oblatione nostra, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Piorum et Justorum. Vasa sancta offeruntur Patri nostro, ut osculetur ea, et Pater noster in Liturgia sua recordabitur omnium qui in Christum credunt.

Sacerdos. Qui solus Dominus misericors es, in eos qui coram altari tuo colla inclinant mitte benedictiones tuas, tu qui in altis habitas, et humilia respicis, benedicque eos per gratiam, misericordiam et amorem erga homines Christi unigeniti Filii tui per quem et cum quo te decet gloria, &c.

Populus. Amen.

Sacerdos. Deus Pater qui propter amorem tuum erga homines magnum et ineffabilem, misisti Filium

tuum in mundum, ut ovem errantem reduceret, ne avertas faciem tuam a nobis, dum sacrificium hoc spirituale et incruentum celebramus: non enim justitiæ nostræ confidimus, sed misericordiæ tuæ. Deprecamur ergo et obsecramus clementiam tuam, ne in judicium sit populo tuo Mysterium hoc, quod institutum nobis est ad salutem: sed ad veniam peccatorum, remissionem insipientiarum, et ad gratias tibi referendas: per gratiam, misericordiam, et amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria.

Populus. Amen.

Diaconus. Date pacem unusquisque proximo suo, in caritate et fide, quæ Deo acceptæ sint. Vade in pace, Sacerdos præclare. Stemus decenter orantes, stemus cum timore et tremore, stemus cum modestia et sancitate: quia ecce oblatio infertur, et majestas exoritur. Januæ cœli aperiuntur, et Spiritus sanctus descendit super hæc mysteria sancta, et illabitur. In loco timoris et tremoris consistimus, et cum Cherubim et Seraphim circumstamus. Fratres et socii vigilum et angelorum facti sumus, et ministerium ignis et spiritus cum illis operamur. Nullus porro ligatus sit, qui audeat accedere ad mysteria hæc, quia velum tollitur, et gratia demittitur, misericordiæque effunduntur super unumquemque, qui orat in corde puro et conscientia bona.

Sacerdos elevat velum et ter populum cruce signat, dicens:

Charitas Patris, gratia Filii, et communicatio Spiritus sancti, sint cum omnibus nobis.

Populus. Amen.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino Deo nostro.

POPULUS. Dignum et justum est.

SACERDOS INCLINATUS. Vere dignum et justum est, decens et debitum, ut te laudemus, te benedicamus, te celebremus, te adoremus, tibi gratias agamus, tibi opifici omnis creaturæ, visibilis aut invisibilis. *Et elevans vocem.* Quem laudant cœlum et cœli cœlorum, omnisque exercitus eorum sol et luna et omne stellarum agmen, terra et maria et omnia quæ in eis sunt: Jerusalem cœlestis, Ecclesia primogenitorum descriptorum in cœlis: Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, Throni, Dominationes, virtutes cœlestes, et mundo superiores exercitus cœli, Cherubim quibus oculi multi, et Seraphim quibus alæ sex, qui duabus alis tegunt facies suas et duabus pedes, duabusque alter ad alterum volitantes vocibus indeficientibus, et Theologia non conticescente, hymnum triumphalem magnificentissimæ gloriæ, voce canora concinunt, clamant, vociferantur et dicunt.

POPULUS. Sanctus, Sanctus, Sanctus es, Domine Deus Sabaoth, pleni enim sunt cœli et terra, gloria, honore et majestate tua Domine, Hosanna in excelsis. Benedictus qui venit et qui venturus est in nomine Domini. Hosanna in excelsis.

SACERDOS INCLINATUS. Vere sanctus es, Rex sæculorum et omnis sanctitatis largitor: sanctus etiam unigenitus Filius tuus, Dominus Deus et Salvator noster Jesus Christus: sanctus etiam Spiritus tuus sanctus, qui scrutatur omnia, etiam profunda tua, Deus Pater. Sanctus enim es qui omnia contines, omnipotens, terribilis, bonus, cum unigenito Filio tuo, qui passionum particeps fuit, et maxime propter hominem figmentum tuum, quem e terra formâsti, et concessisti illi delicias paradisi. Quum vero transgressus esset mandatum tuum, et cecidit, non neglexisti aut dereliquisti illum, O bone, sed reduxisti

illum, sicut pater summæ misericordiæ. Vocâsti eum per legem, direxisti eum per Prophetas: denique filium tuum unigenitum in mundum misisti, ut imaginem tuam renovaret; qui descendit, et incarnatus est de Spiritu sancto, et ex sancta Genitrice Dei semperque virgine Maria, conversatus est cum hominibus et omnia ad generis nostri salutem instituit.

Et elevans vocem, accipit Oblatam, et dicit:

Quum ergo suscepturus esset mortem voluntariam pro nobis peccatoribus, ipse immunis a peccato, in ea nocte qua tradendus erat pro vita et salute mundi, accepit panem in manus suas sanctas, immaculatas, et incontaminatas, et levatis oculis in cœlum, aspexit ad te, Deus Pater, et gratias agens, benedixit, + sanctificavit, + fregit, + et dedit discipulis suis sanctis et Apostolis dicens, "Accipite, manducate ex eo vos omnes. Hoc est corpus meum, quod pro vobis et pro multis frangitur et datur, in remissionem peccatorum et vitam æternam."

Sacerdos. Similiter etiam et calicem, postquam cœnaverunt, miscens vino et aqua, et gratias agens + benedixit + sanctificavit, + et dedit iisdem discipulis Apostolis sanctis dicens, "Accipite, bibite ex eo vos omnes. Hic est sanguis meus Testamenti novi, qui pro vobis, et pro multis fidelibus effunditur, et datur in remissionem peccatorum, et vitam æternam."

POPULUS. Amen.

SACERDOS. Hoc facite in memoriam mei: quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem istum bibetis, mortem meam annuntiabitis et resurrectionem meam confitebimini, donec veniam.

POPULUS. Mortis tuæ, Domine, memoriam agimus, resurrectionem tuam confitemur, et adventum tuum secundum expectamus; misericordiam et gratiam a

te postulamus: remissionem peccatorum precamur: misericordiæ tuæ sint super nos omnes.

SACERDOS. Memoriam igitur agimus, Domine, mortis et resurrectionis tuæ e sepulchro post triduum, et ascensionis tuæ in cœlum, et sessionis tuæ ad dexteram Dei Patris: rursumque adventus tui secundi, terribilis et gloriosi, quo judicaturus es orbem in justitia, quum unumquemque remuneraturus es secundum opera sua. Offerimus tibi hoc sacrificium terribile et incruentum, ut non secundum peccata nostra agas nobiscum. Domine, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis: sed secundum mansuetudinem tuam et amorem tuum erga homines magnum et ineffabilem, dele peccata nostra, servorum nempe tuorum tibi supplicantium. Populus enim tuus et hæreditas tua deprecatur te et per te et tecum Patrem tuum, dicens:

POPULUS. Miserere, Deus Pater omnipotens, miserere nobis.

SACERDOS. Nos etiam infirmi et peccatores servi tui, Domine, gratias agimus tibi, laudamus te, pro omnibus et propter omnia.

POPULUS. Laudamus te, benedicimus te, et adoramus te, gratias agimus tibi et precamur a te veniam, Domine Deus, miserere nobis et exaudi nos.

SACERDOS. Præcipue vero sanctæ et gloriosæ semper Virginis beatæ genitricis Dei Mariæ memoriam agimus.

DIACONUS. Memento illius, Domine Deus, et per ejus orationes puras et sanctas, parce et miserere nobis et exaudi nos.

DIACONUS. Quam terribilis est hæc hora: quam timendum tempus istud, dilecti mei, quo Spiritus vivus et sanctus ex excelsis sublimibus cœli advenit, descendit et illabitur super Eucharistiam hanc in

sanctuario positam, eamque sanctificat: cum timore et tremore estote, stantes et orantes. Pax nobiscum sit, et securitas Dei Patris omnium nostrum, clamemus et dicamus ter. Kyrie eleison.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Miserere nobis, Deus Pater omnipotens, et mitte Spiritum tuum sanctum, Dominum et vivificantem, qui tibi throno æqualis est, et Filio æqualis regno, consubstantialis et coæternus; qui loquutus est in Lege et Prophetis et Novo Testamento tuo; qui descendit in similitudine columbæ super Dominum nostrum Jesum Christum, in Jordane flumine: qui descendit super Apostolos sanctos in similitudine linguarum ignis.

POPULUS. Kyrie eleison *ter.*

SACERDOS. Ut adveniens efficiat panem istum, corpus vivificum, corpus salutare, corpus cœleste, corpus animabus et corporibus salutem præstans, corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, in remissionem peccatorum et vitam æternam accipientibus illud.

POPULUS. Amen.

SACERDOS. Et mistum quod est in hoc calice, efficiat sanguinem Testamenti Novi, sanguinem salutarem, sanguinem vivificum, sanguinem cœlestem, sanguinem animabus et corporibus salutem præstantem, sanguinem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi: in remissionem peccatorum et vitam æternam suscipientibus illum.

POPULUS. Amen.

SACERDOS. Ut sint nobis et omnibus qui ex illis accipient, iisque communicabunt, ad sanctitatem animarum et corporum ad fructificationem operum bonorum: ad confirmationem Ecclesiæ tuæ sanctæ, quam super veræ fidei petram fundâsti, et portæ

inferi non prævalebunt adversus eam, quum liberaturus sis illam ab omnibus hæresibus et scandalis operantium iniquitates, usque ad consummationem sæculi: per gratiam, misericordiam et amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria et honor.

POPULUS. Amen.

SACERDOS INCLINATUS. Quapropter offerimus tibi, Domine, sacrificium hoc tremendum et incruentum pro locis tuis sanctis quæ per manifestationem Christi Filii tui illustrâsti; præcipue vero pro Sion sancta, matre omnium Ecclesiarum, et pro Ecclesia tua sancta toto orbe diffusa.

DIACONUS. Benedic, Domine. Oremus et deprecemur Dominum Deum nostrum, hoc temporis momento, magno, timendo et sancto, pro patribus et rectoribus nostris, qui hodie nobis præsunt, et in præsenti vitæ Ecclesias sanctas Dei pascunt et gubernant: venerandis et beatis Domino N. Patriarcha nostro et D. N. Metropolita, reliquisque Metropolitis et Episcopis venerandis Dominum deprecemur.

SACERDOS. Dona ditissima Spiritus tui sancti concede ipsis, Domine. Memento, Domine, sanctorum Episcoporum nostrorum, qui nobis recte verbum veritatis dispensant, præcipue vero Patris Patrum et Patriarchæ nostri Domini N. et Domini N. Episcopi nostri cum reliquis omnibus Episcopis Orthodoxis. Canitiem ipsis venerandam concede Domine: multis annis ipsos conserva, pascentes populum tuum cum omni pietate et sanctitate. Memento, Domine, Presbyterii hujusce, et cujuscumque alterius loci: Diaconatus in Christo, omnisque ministerii et omnis Ordinis Ecclesiastici. Memento etiam, Domine, paupertatis meæ, qui me licet indignum, vocare tamen dignatus es. Delicta juventutis meæ et ignorantias

meas ne memineris, sed secundum muititudinem miserationum tuarum, memento mei tu: si enim iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis poterit coram te sustinere? Quia apud te propitiatio est: visita me et purifica me, ut ubi abundavit peccatum, ibi superabundet gratia tua. Memento etiam, Domine, eorum qui in vinculis jacent aut carceribus detinentur: fratrum etiam nostrorum qui in exilio sunt: infirmorum, aut qui male affecti sunt: eorum qui a spiritibus immundis infestantur, aut agitantur. Memento etiam, Domine, aeris, imbrium, roris, fructuum terræ et coronæ anni; oculi enim omnium in te sperant, et tu das illis escam eorum in tempore opportuno: aperis tu manum tuam omnibus sufficientem, et imples omne animal bona tua voluntate. *Elevans vocem.* Eripe me, Domine Deus, ab omni angustia, ira et adversitate, ab omni machinatione et infestationibus perversorum hominum, ab omni impetu et violentia dæmonum, ab omni plaga a te immissa Domine, quæ peccatorum nostrorum causa nobis accidit, et conserva nos in fide orthodoxa et observatione mandatorum tuorum, quæ sancta sunt, et vivifica, nos nempe et omnes qui digni fuerunt coram te consistere, et uberes a te misericordias expectant: quia tu Deus es, qui vis misericordiam: et tibi gloriam referemus, &c. POPULUS. Amen.

PRO FRATRIBUS FIDELIBUS DIACONUS. Iterum atque iterum commemoramus fratres nostros fideles, Christianos veros, qui prius monuerunt et injunxerunt nobis infirmis et imbellibus, ut memores eorum essemus in hoc temporis articulo: Et pro illis qui omni genere tentationum et afflictionum vexati sunt.

SACERDOS INCLINATUS. Rursus meminisse dignare eorum qui nobiscum in oratione consistunt, Patrum, Fratrum, Magistrorumque nostrorum, et eorum qui

absunt. Memento etiam, Domine, eorum qui præceperunt nobis ut eorum memoriam ageremus in orationibus ad te Deum nostrum. Unicuique illorum concede, Domine, petitiones suas, quæ quidem ad salutem spectant. Memento, Domine, et illorum qui intulerunt oblationes ad altare tuum sanctum, et eorum pro quibus singuli obtulerunt, et eorum qui offerre voluerunt, sed non potuerunt: eorum quos unusquisque habet in mente, et eorum qui nunc nominantur. *Et elevans vocem.* Memento, Domine, omnium quorum meminimus, et eorum quorum non meminimus, et secundum multitudinem mansuetudinis tuæ, retribue illis gaudium salutis tuæ, suscipiens sacrificia illorum in immenso cœlo tuo, dignosque efficiens visitatione et auxilio tuo: confirma illos virtute tua, et fortitudine tua illos instrue, quia tu es misericors et misericordiam cupis, teque decet gloria, honor et potentia, simul cum unigenito Filio tuo et Spiritu tuo.

POPULUS. Amen.

DIACONUS. PRO REGIBUS. Iterum et iterum commemoramus omnes Reges fideles, Christianos veros: qui Ecclesias et Monasteria Dei in quatuor mundi partibus ædificaverunt et fundaverunt: totamque rempublicam Christianam, Clerum et populum fidelem, ut in virtutibus proficiant, Dominum deprecemur.

SACERDOS INCLINATUS. Memento etiam, Domine, piorum Regum nostrorum et Reginarum: apprehende arma et scutum, et exsurge in auxilium eorum. Subjice illis hostes omnes et adversarios, ut placidam tranquillamque vitam agamus, in omni timore Dei et humilitate: quia tu salutis refugium es, et potestas auxiliatrix: victoriæque dispensator, erga eos omnes qui te invocant, et sperant in te, Domine. Et tibi gloriam et laudem referemus.

POPULUS. Amen.

DIACONUS. MEMORIA SANCTORUM. Iterum atque iterum commemoramus vere beatam, laudatamque ab omnibus generationibus terræ sanctam, benedictam, semper Virginem genitricem Dei Mariam, simulque memoriam agimus Prophetarum, apostolorum, Evangelistarum, Prædicatorum, Martyrum, et Confessorum; et B. Joannis Baptistæ præcursoris: gloriosi S. Stephani primi martyris ac primi diaconi: et unumquemque eorum commemorantes, Dominum deprecemur.

SACERDOS INCLINATUS. Quoniam igitur est tibi potestas vitæ et mortis, Domine, Deusque misericordiarum et amoris erga hominem tu es, dignos effice ut omnium illorum qui a sæculo tibi placuerunt, memoriam agamus: Patrum sanctorum et Patriarcharum, Prophetarum et apostolorum, Joannis præcursoris et Baptistæ, S. Stephani primi Diaconorum, et primi Martyrum, et sanctæ genitricis Dei semperque Virginis beatæ Mariæ et omnium sanctorum. *Elevans vocem.* Rogamus te, Domine, multæ misericordiæ, qui impossibilia veluti possibilia creas, constitue nos in hac beata congregatione: accense nos huic Ecclesiæ, statue nos per gratiam tuam inter electos illos, qui scripti sunt in cœlis. Idcirco enim memoriam illorum agimus, ut dum ipsi stabunt coram throno tuo, nostræ quoque tenuitatis et infirmitatis meminerint, tibique nobiscum offerant sacrificium hoc tremendum et incruentum, ad custodiam quidem eorum qui vivunt, ad consolationem infirmorum et indignorum, quales nos sumus: ad quietem, memoriamque bonam eorum, qui in fide vera dudum obierunt Patrum, Fratrum, et Magistrorum nostrorum, per gratiam et misericordiam, &c.

POPULUS. Amen.

DIACONUS. COMMEMORATIO DOCTORUM. Iterum

commemorantes coram te, Domine, Doctores divinos, qui fidei irreprehensibilis explanatores, qui moribus præclaris ornati obierunt et quieverunt, nobisque fidem Orthodoxam ordinaverunt et tradiderunt: Dominum deprecemur, &c.

SACERDOS INCLINATUS. Memento, Domine, sanctorum Episcoporum qui pridem obdormierunt, qui verbum veritatis nobis dispensaverunt: qui a Jacobo principe Episcoporum apostolo et Martyre, usque ad hanc diem, verbum fidei Orthodoxæ in Ecclesia tua sancta prædicaverunt. *Elevans vocem.* Luminum et Doctorum Ecclesiæ tuæ sanctæ, qui præclarum fidei certamen ediderunt, qui nomen tuum sanctum tulerunt coram populis, regibus et filiis Israel, eorumque precibus et supplicationibus, pacem tuam Ecclesiæ tuæ tribue: doctrinas eorum et confessionem eorum in animis nostris confirma: hæreses nobis noxias cito comprime, et consistentiam absque confusione, coram tribunali tuo nobis concede: quia sanctus es, Domine, et in sanctis requiescis: qui sanctorum es consummator atque perfector: et tibi gloriam, &c.

POPULUS. Amen.

DIACONUS. COMMEMORATIO FIDELIUM DEFUNCTORUM. Iterum etiam commemoramus omnes defunctos fideles, qui in fide vera defuncti sunt, ex altari hoc sancto, et ex hoc pago, et ex quacumque regione, qui in fide vera pridem obdormientes quieverunt, et ad te Deum Dominum spirituum et omnis carnis pervenerunt. Rogamus, imploramus, et deprecamur Christum Deum nostrum, qui suscepit ad se animas et spiritus eorum, ut per miserationes suas multas, præstet illos dignos venia delictorum et remissione peccatorum: nosque et illos pervenire faciat ad regnum suum in cœlis. Ea propter clamemus et dicamus. Kyrie eleison *ter.*

SACERDOS INCLINATUS. Memento etiam, Domine, Sacerdotum Orthodoxorum, pridem defunctorum, diaconorum et subdiaconorum, psaltarum, lectorum, interpretum, cantorum, exorcistarum, monachorum, religiosorum, auditorum, virginum perpetuarum, et sæcularium, qui in fide vera defuncti sunt, et eorum quos unusquisque designat animo. *Elevans vocem.* Domine Deus spirituum et omnis carnis, omnium memento quorum meminimus, qui in fide Orthodoxa ex hac vita migrârunt, da animabus, corporibus et spiritibus illorum requiem, liberans eos a damnatione infinita ventura, et dignos efficiens gaudio quod est in sinu Abraham, Isaac et Jacob: ubi splendet lumen vultus tui, unde procul sunt dolores, angustiæ et gemitus, non reputans illis omnia delicta illorum. Non autem intres in judicium cum servis tuis, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, nec ullus est a peccati culpa immunis, aut a sordibus purus, ex hominibus qui super terram sunt, nisi unus Dominus noster Jesus Christus unigenitus filius tuus, per quem nos etiam misericordiam et remissionem peccatorum consequi speramus, quæ propter eum est, et nobis et illis.

POPULUS. Quietem præsta illis, et propitius esto, et dimitte, Deus, insipientias et defectus omnium nostrum, sive scienter, sive ignoranter, &c.

SACERDOS INCLINATUS. Remitte, dimitte, ignosce, O Deus, peccata omnium nostrum voluntaria et involuntaria, scienter et ignoranter commissa, verbo, opere, aut cogitatione, occulta et nota, publica, antiqua, per errorem admissa et omnia quæ novit nomen tuum sanctum. *Elevans vocem.* Finem igitur nobis Christianum conserva, et sine peccato; congregans nos subter pedes electorum tuarum, quando, ubi, et sicut volueris: tantummodo absconde nos a confusione

iniquitatum nostrarum; ut etiam in hoc, velut in omnibus, laudetur et celebretur nomen tuum honoratissimum et benedictum et Domini nostri Jesu Christi et Spiritus tui sancti.

POPULUS. Sicut est, et fuit, in generationes generationum, et futurorum sæculorum in sæcula. Amen.

SACERDOS. Pax. POPULUS. Et cum.

SACERDOS. Misericordiæ Dei sint super nos omnes. *Tum dicet:* Credimus, accedimus, obsignamus, et frangimus Eucharistiam hanc: panem cœlestem, corpus Verbi Dei vivi, in calice salutis et gratiarum actionis, in crucis modum signamus, cum particula propitiatoria, mysteriisque supernis plena, in nomine Patris vivi, ad vitam: et unigeniti Filii, et Spiritus sancti, principii, perfectionis, et sigilli omnium quæ sunt et fuerunt in cœlo et in terra: unius potestatis, unius voluntatis, unius Dei veri, benedicti, excelsi et indivisi, a quo est vita in sæcula sæculorum.

POPULUS. Amen.

DIACONUS VOCE MAGNA DICET CATHOLICAM. Benedic, Domine. Iterum atque iterum per oblationem hanc sanctam et sacrificium propitiatorium, quod Deo Patri oblatum, sanctificatum, completum et perfectum est per illapsum Spiritus sancti vivi, pro Patre nostro Sacerdote præclaro, qui illud obtulit et consecravit et pro altari Dei, super quod illatum est, et pro populis benedictis qui accedunt, et accipiunt illud in fide vera, et his pro quibus oblatum et consecratum est, iterum impensius oramus. Ecce tempus timoris, ecce hora terrore plena: superi in timore consistunt, et illi cum tremore ministrant; terror filiis lucis immittitur, et terreni illum non sentiunt, hora qua venia affertur, peccata ab illa fugiunt. Ministri Ecclesiæ tremite, quia ignem vivum administratis. Potestas quæ vobis data est, excellentior est

illa quam habent Seraphim. Beata anima quæ nunc in Ecclesia adest cum puritate, quia Spiritus sanctus scribit nomen ejus, illudque elevat in cœlum. Diaconi estote cum tremore, hoc tempore sancto, quo descendit Spiritus sanctus, ad sanctificanda corpora eorum, qui illud suscipiunt. Aspice, Domine, oculo misericordi servum tuum, qui stat et sacrum celebrat. Suscipe, Domine, oblationem istam, ut illam Prophetarum et apostolorum. Memento, Domine, Patrum et Fratrum nostrorum, ut etiam Magistrorum nostrorum, nosque et illos dignos præsta per misericordiam tuam regno cœlesti. Memento, Domine, per gratiam et miserationes tuas divinas, Domini N. Patriarchæ nostri et D. N. quorum orationes nobis adsint. Memento, Domine, absentium, et miserere præsentium. Quietem quoque præsta spiritibus defunctorum, et parce peccatoribus in die judicii. Defunctorum, qui a nobis separati ab hoc sæculo migraverunt, spiritibus, Christe, quietem præsta, cum piis et justis. Crux tua pons sit illis, et baptismus tuus tegumentum. Corpus tuum et sanguis tuus sanctus, via sint quæ deducat ad regnum tuum. Gloriam perpetuam, cum adoratione acceptabili decet nos referre ex medio sanctuarii, Patri, Filio, et Spiritui sancto vivo, ut ipse Deus verus adimpleat nobiscum gratiam, benedictionem, miserationem et clementiam suam, ex hoc nunc usque ad finem: nosque omnes cum oratione Dominum deprecemur.

Sacerdos ante orationem Dominicam, dicit.

Pater Domini nostri Jesu Christi, pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui sedes super Cherubim, et a Seraphim laudaris: coram quo consistunt mille Angelorum myriades, excelsa et cœlestia agmina: qui oblationes ex donis et proventibus fructuum tibi oblatis in odorem suavitatis, dignatus es

sanctificare et perficere per gratiam unigeniti Filii tui, et per illapsum Spiritus tui sancti. Sanctifica etiam Domine animas nostras, corpora nostra, spiritusque nostros, ut corde puro, anima lucida, et face inconfusa, audeamus invocare te Deum cœlestem, Patrem omnipotentem, oremusque et dicamus: Pater noster qui es in cœlis.

Populus. Sanctificetur, &c.

Sacerdos. Domine Deus noster, ne inducas nos in tentationem, quam virtute destituti sustinere non possimus, sed fac etiam cum tentatione proventum, ut possimus sustinere, et libera nos a malo. Per Jesum Christum Dominum nostrum, per quem, &c.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax. Populus. Et cum.

Diaconus. Inclinate capita vestra coram Deo misericordi, coram altari propitiatorio, et coram corpore et sanguine Salvatoris nostri, in quo vita posita est suscipientibus illa, et suscipite benedictionem a Domino.

Sacerdos. Tibi inclinant servi tui capita sua, expectantes misericordias uberes a te. Benedictiones copiosas quæ a te sunt, mitte, Domine, et sanctifica animas, corpora, spiritusque nostros, ut digni simus communicandi corpori et sanguini Christi Salvatoris nostri: per gratiam et misericordiam et amorem ejusdem Jesu Christi Domini nostri, cum quo laudatus et benedictus es in cœlis et in terra, cum Spiritu tuo, &c.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax. Populus. Et cum.

Sacerdos. Misericordiæ Dei.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Unusquisque cum timore et tremore ad Deum aspiciat, et misericordiam et gratiam a Domino postulet.

SACERDOS. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus potens Sabaoth, pleni sunt cœli et terra laudibus tuis. Exaltare super cœlos Deus, et super omnem terram gloria tua: ad te levavi oculos meos qui habitas in cœlis, &c.

Et post pauca Eucharistiam accipiens in manibus dicit elata voce.

Sancta sanctis in perfectione, puritate et sanctitate traduntur.

TUM DICUNT OMNES SIMUL. Unus Pater sanctus, unus Filius sanctus, unus Spiritus sanctus. Sit nomen Domini benedictum, qui unus est in cœlo et in terra: ipsi gloria in sæcula. Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto, omnia sanctificanti, et omnia expianti.

SACERDOS. Domine, vere et certo credimus, et in te credimus, quemadmodum credit in te Ecclesia sancta et Catholica: quod sis unus Pater sanctus, cui sit gloria, Amen. Unus Filius sanctus, ipsi laus, Amen. Unus Spiritus sanctus, ipsi gloria et gratiarum actio in sæcula, Amen.

DIACONUS. In resurrectione Christi Regis accipiamus veniam animabus nostris in fide, et dicamus omnes æqualiter, Filio qui salvavit nos per crucem suam; Benedictus Salvator noster Sanctus, Sanctus, Sanctus es omnibus modis, magnificans memoriam genitricis tuæ, sanctorum et defunctorum fidelium, Alleluja. Virtutes cœlorum stant nobiscum in medio sanctuarii, et ministerium exhibent corpori Filii Dei, qui immolatus est coram nobis. Accedite, accipite ex eo remissionem peccatorum et delictorum, Alleluja. Super altare tuum sanctum, Domine, memoria fiat Patrum, Fratrum, Doctorumque nostrorum, resurgantque ad dexteram tuam in die ortus majestatis tuæ, Rex Christe. Alleluja. Benedictus Dominus qui dedit nobis corpus et sanguinem suum vivum, ut

per illa veniam consequamur, &c. Quum statis in sanctuario, sacerdotes aperite ostia cordium vestrorum, dicite psalmum et benedicite super Eucharistiam hanc in sanctuario positam. *Psalmus* 150.

Sacerdos interjectis aliquot orationibus quæ pro Ecclesiarum consuetudine variæ sunt, frangit ex majori Eucharistici panis parte minorem aliam, qua in calice intincta, reliquas in modum crucis signat, dicens,

Inspergitur sanguis Domini nostri, corpori ejus, in nomine Patris, + et Filii, + et Spiritus sancti. +

Eamdem particulam immittit in calicem dicendo:

Miscuisti Domine divinitatem tuam cum humanitate nostra, et humanitatem nostram cum divinitate tua: vitam tuam cum mortalitate nostra, et mortalitatem nostram cum vita tua; accepisti quæ nostra erant, et dedisti nobis tua, ad vitam, et salutem animarum nostrarum, tibi gloria in sæcula.

Sacerdos accipit corpus Christi, dicens:

Præsta Domine ut sanctificentur corpora nostra per corpus tuum sanctum, et purificentur animæ nostræ per sanguinem tuum propitiatorium, sintque ad veniam delictorum et remissionem peccatorum nostrorum; Domine Deus, tibi gloria in sæcula.

MOX EUCHARISTIAM DISTRIBUIT SACERDOTIBUS, DIACONIS, DEINDE LAICIS, DICENS: Corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi datur tibi in veniam delictorum, et remissionem peccatorum in utroque sæculo.

Interea dum communio administratur cum cochleari, Diaconus reliquis succinentibus clamat:

Fratres mei, accipite corpus Filii, clamat Ecclesia: bibite sanguinem ejus cum fide, et canite gloriam: hic est calix quem miscuit Dominus noster super lignum crucis: accedite mortales, bibite ex eo, in remissionem delictorum. Alleluja, et ipsi laus, de quo bibit grex ejus, et puritatem consequitur.

Qui versus ut et multi alii, juxta communicantium numerum minuuntur vel producuntur: mox Sacerdos abstergit vasa, diaconorum ministerio, et deinde dicitur Oratio gratiarum actionis.

Gratias agimus tibi Deus et præcipue laudamus te ob immensum et ineffabilem erga homines amorem tuum. O Domine, quos admittere dignatus es ad participationem mensæ tuæ cœlestis, ne damnes ob susceptionem mysteriorum tuorum sanctorum et immaculatorum. Verum, O bone, custodi nos in justitia et sanctitate, ut digni effecti communicatione Spiritus tui sancti, partem, sortem et hæreditatem consequamur cum sanctis illis omnibus, qui ex hoc mundo tibi placuerunt: per gratiam, &c.

POPULUS. Amen.

SACERDOS. Pax.

POPULUS. Et cum spiritu tuo.

DIACONUS. Iterum atque iterum pro consummatione mysteriorum horum sanctorum, Deum precemur.

SACERDOS. Deus magne et mirabilis, qui inclinâsti cœlos et descendisti pro nostra hominum salute, aspice nos per misericordiam et gratiam tuam: benedic populo tuo, et hæreditatem tuam conserva: ut semper et omni tempore laudemus te, quia solus es Deus noster verus: et Deum patrem genitorem tuum et Spiritum tuum sanctum nunc et semper, &c.

POPULUS. Amen.

DIACONUS. Benedic, Domine.

SACERDOS. Benedic omnibus, conserva omnes, &c.

Vel aliam Benedictionem pro Ecclesiarum consuetudine et festorum varietate diversam: qua recitata Diaconus incipit psalmum Benedicam Dominum in omni tempore. [Psalm. 34.] *Quo dicto abeunt et finitur Liturgia.*

ALIÆ ORATIONES

Ad communionem et postea dicendæ, quæ in quibusdam Codicibus Liturgiæ Jacobi: in aliis Xysti: in aliis Petri, subjunguntur.

Quum distribuitur communio, Sacerdos dicit:

Sanctus, Sanctus, Sanctus es Domine, clamat Ecclesia. Benedictus qui dedit mihi corpus et sanguinem suum, ut per eum expiationem consequerer. Sanctum tuum deprecetur pro nobis in judicio, coram throno illo pleno timoris et terroris. Ego sum panis vitæ, dicit Dominus: et qui manducat me cum fide, vitam hæreditabit. Qui vident corpus ipsum Filii cum fide: qui inter eos purus est, accedat, illudque suscipiat, et per illud veniam consequetur. Benedicta Maria, et benedictus fructus qui ex illa ortus est: quoniam corpus ejus accipimus et sanguinem ejus bibimus, ad expiationem delictorum. Suscipe Domine ab adoratoribus tuis oblationes eorum, et propitius esto per miserationes tuas animabus defunctorum illorum.

Oratio pro mortuis.

Ecce oblatio illata est: et ecce animæ purificatæ sunt: præstetur per eam requies mortuis, pro quibus oblata est. Oblatio ista, quæ a viventibus pro defunctis infertur, expiat iniquitatem animæ, et per eam remittuntur illis delicta. Ipse qui vocavit Lazarum, et filium viduæ, spargat rorem miserationum suarum, super ossa defunctorum. Cum Abraham, Isaac et Israel vero, præsta, Domine, memoriam illi, pro quo oblata est.

Rex cœlestis, suscipe oblationem servorum tuorum, et fac memoriam eorum in Jerusalem superna, et quæ supra terram: et super altare quod est in excelso, sit memoria eorum bona. Agne Dei, et pastor qui

mortuus es pro ovibus tuis, præsta, Domine, per gratiam tuam requiem defunctis fidelibus.

Corpus tuum sitit anima mea, accedere ad illud vereor; peccata mea tremorem mihi incutiunt: expientur, Domine, per clementiam tuam. Corpus tuum et sanguis tuus quæ accepimus, sint nobis via, et transitus, ut absque timore a tenebris transeamus ad lucem. Gaudium in superioribus, et spes bona in inferioribus, per oblationes quas faciunt viventes pro defunctis suis.

Diaconus. Monitum. Oremus postquam digni facti sumus suscipere corpus et sanguinem Salvatoris nostri: quod est mysterium pignusque quod descendit de cœlo, quodque non præterit, neque destruitur. Oremus, ut apud nos permaneat, et ut nos illud cum puritate servemus. Gloria Domino illi bono, qui nos dignos fecit dono illo spirituali.

Iterum atque iterum in consummatione mysteriorum istorum sanctorum confitemur te, Domine Jesu Christe, propter corpus tuum quo cibâsti nos, et sanguinem tuum quo potâsti nos. Miserere nostri et exaudi nos.

Alia Oratio gratiarum actionis.

Ora, assueta alimento ex frugibus, confitentur gratiam tuam, per quam meruerunt donum hoc cœleste, quod est corpus et sanguis unigeniti filii tui, per quem et cum quo te decet, gloria et honor cum Spiritu tuo sancto.

Panis cœlestis Christe, qui humiliatus adeo es, ut esses nobis cibus qui non perit: ne facias ut in adventu tuo secundo devoremur ab igne inextinguibili: et referemus tibi laudem, &c. Benedic omnibus nobis, conserva omnes nos: succurre nobis omnibus: viam vitæ et salutis demonstra nobis: miserationesque tuæ et clementia tua sint super nos omnes. Fratres quoque

nostros, qui longe sunt, custodi: eos qui in proximo sunt, instrue doctrina sufficienti, omnesque fideles utriusque sexus, qui participes fuerunt hujus Eucharistiæ, quæ illata, oblata, et proposita est, super altare hoc sanctum. Deus qui suscipit oblationes piorum antiquorum Abraham, Isaac, et Jacobi, ipse suscipiat oblationes vestras, vota vestra, primitias et decimas vestras: præstet quoque requiem et memoriam bonam defunctis vestris spemque benedictam et custodiam viventibus vobis: per precationes matris vitæ genitricis Dei Mariæ, et omnium sanctorum in sæcula. Amen.

LITURGIA MINOR S. JACOBI

Fratris Domini ordinata per Gregorium Catholicum Orientis, inter montes Armeniæ magnæ anno Græcorum MDCCCCIII *J. C.* MDXCI.

Oratio ante Pacem.

Deus omnium Domine, præsta nobis indignis salutem hanc, ut absque dolo conjuncti per vinculum caritatis, salutemus invicem in osculo sancto et divino offeramusque tibi gloriam et laudem, unigenitoque Filio tuo et Spiritui sancto, nunc, &c.

Populus. Amen. Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum Spiritu tuo. Demus Pacem.

Sacerdos. Ipse qui es solus Dominus misericors, qui in excelsis habitas, et humilia respicis, mitte benedictiones ad eos qui inclinant colla sua coram te, et benedic illis per gratiam unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti, nunc, &c. Amen.

Deus Pater qui per amorem tuum erga homines magnum, misisti filium tuum in mundum, ut ovem errantem reduceret, ne Domine rejicias cultum hunc nostrum, sacrificii hujus incruenti; quandoquidem in miserationibus tuis et non in justitia nostra confidimus.

Ne ad judicium nobis veniat mysterium hoc, quod ad salutem nostram institutum est: sed ad abolitionem peccatorum nostrorum, et ad gratiarum actionem referendam tibi, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto, nunc, &c.

DIACONUS. Stemus decenter.

POPULUS. Misericordiæ.

SACERDOS. Gratia.

POPULUS. Et cum spiritu tuo.

SACERDOS. Sursum corda.

POPULUS. Habemus ad Dominum.

SACERDOS. Gratias agamus.

POPULUS. Dignum et justum est.

SACERDOS INCLINATUS. Vere dignum et justum est, nos opifici omnis creaturæ gratias agere, eumque adorare et glorificare.

ELEVANS VOCEM: Quem laudant virtutes cœlestes corporeæ et incorporeæ (creaturæ) sol et luna et omnes stellæ, terra et maria, primogeniti descripti in Jerusalem cœlesti, Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, Throni, Dominationes, Virtutes, Cherubim multi oculi, Seraphim sex alis instructi, qui opertis faciebus et pedibus, volant alter ad alterum, sanctificant, clamant et dicunt.

POPULUS. Sanctus, &c.

SACERDOS INCLINATUS. Vere sanctus es, et sanctificator, rex sæculorum. Sanctus etiam Spiritus tuus sanctus, qui scrutatur abscondita tua. De terra hominem creâsti, et in paradiso collocâsti: quumque transgressus fuisset mandatum tuum, non deseruisti illum errantem, sed direxisti illum per Prophetas; tandemque unigenitum Filium tuum misisti in mundum, qui incarnatus est de Spiritu sancto, et ex Maria Virgine: et renovavit imaginem tuam, quæ deturpata erat.

ELEVANS VOCEM. Quum vero paratus esset ad suscipiendam mortem voluntariam, pro nobis peccatoribus, ipse qui peccatum non fecerat, accepit panem in manus suas sanctas, et gratias agens, + benedixit, + sanctificavit + et fregit, deditque apostolis suis sanctis, et dixit, "Accipite, manducate ex eo. Hoc est corpus meum, quod pro vobis et pro multis frangitur, et datur ad remissionem peccatorum, et vitam æternam."

POPULUS. Amen.

SACERDOS. Similiter et calicem accepit, et gratias agens + benedixit, + sanctificavit, + dedit iisdem apostolis suis sanctis, et dixit, "Accipite, bibite ex eo vos omnes; hic est sanguis meus, qui pro vobis et pro multis effunditur et datur, ad remissionem peccatorum, et vitam æternam."

POPULUS. Amen.

SACERDOS. Hoc facite in meam commemorationem: quando communicabitis huic mysterio, mortem meam et resurrectionem meam commemorate, donec veniam.

POPULUS. Mortis tuæ Domine, &c.

SACERDOS. Mortem tuam commemoramus Domine, et resurrectionem tuam post dies tres, ascensionem quoque tuam in cœlum, sessionemque ad dexteram Dei Patris: nec non adventum tuum secundum, in quo judicaturus es orbem in justitia, et reddes unicuique secundum opera sua. Idcirco sacrificium hoc incruentum offerimus tibi, ut non secundum delicta nostra facias nobis, neque secundum peccata nostra retribuas nobis: sed secundum miserationes tuas multas, dele peccata nostra, servorum tuorum. Populus enim tuus et hæreditas tua deprecatur te et per te Patrem tuum dicens:

POPULUS. Miserere.

SACERDOS. Nos quoque.

SACERDOS. Invocatio Spiritus sancti.

DIACONUS. Quam timenda est hæc hora, &c.

SACERDOS. Exaudi me. Miserere nostri Deus Pater, et mitte super nos, et super oblationes istas, Spiritum tuum sanctum, qui est Dominus, æqualis tibi et Filio, throno, regno, et substantia æterna: qui loquutus est in Testamento veteri et novo tuo: qui descendit specie columbæ super Dominum nostrum Jesum Christum in Jordane flumine, et tanquam linguæ ignis super apostolos, in cœnaculo.

Exaudi me.

POPULUS. Kyrie eleison.

SACERDOS. Ut illabens efficiat panem istum, + corpus vivificum, + corpus salutare, + corpus Christi Dei nostri.

POPULUS. Amen.

SACERDOS. Et calicem istum perficiat, + sanguinem Novi Testamenti, + sanguinem salutarem. + sanguinem ipsius Christi Dei nostri.

POPULUS. Amen.

SACERDOS. Ut sanctificent animas et corpora, communicantium illis, ad ferendos fructus operum bonorum, et ad confirmationem Ecclesiæ sanctæ, quæ super petram fidei stabilita est, et a portis infernalibus superari non potest. Et libera eam a scandalis hæreticorum usque in finem, ut referat tibi gloriam et laudem, et unigenito, &c. Amen.

DIACONUS. Oremus.

SACERDOS INCLINATUS. Offerimus tibi sacrificium hoc incruentum, pro Sion sancta, matre omnium Ecclesiarum, et pro Ecclesia tua sancta, toto orbe diffusa, ut largiaris illi donum Spiritus tui sancti.

Memento etiam, Domine, Patrum nostrorum piorum et Orthodoxorum, Patriarchæ nostri Domini N. et Domini N. et Episcopi nostri Domini N. Pres-

byterorum quoque et Diaconorum, et totius Ordinis Ecclesiastici: cum infirmitate mea. Peccata juventutis meæ ne memineris mihi, sed secundum misericordiam tuam vivifica me. Memento quoque fratrum nostrorum captivorum, infirmorum, variisque moribus laborantium, et eorum qui a malignis spiritibus infestantur. Aeri quoque et coronæ anni benedicito, perficiens bonam voluntatem tuam, erga omne vivens.

ELEVANS VOCEM. Et libera nos, Domine, ab omni impugnatione hominum malorum: ab omni incursu et infestatione dæmonum, et ab omnibus plagis quæ peccatorum nostrorum causa venturæ super nos forent. Conserva quoque nos in observatione mandatorum tuorum sanctorum, quia tu Deus misericors es, et tibi gloriam referimus, et unigenito, &c.

INCLINATUS. Memento Domine Patrum et Fratrum qui nobiscum adstant et orant: et eorum qui a nobis migraverunt: ut eorum qui voluerunt offerre, nec potuerunt: unicuique concede honestas petitiones suas.

ELEVANS VOCEM. Memento Domine omnium quorum meminimus, et quorum non meminimus. Suscipe sacrificia eorum in amplissima regione cœlorum tuorum. Retribue illis lætitiam salutis, et præsta illis auxilium a te: robora illos virtute tua, et arma illos fortitudine tua, quia tu es misericors, et tibi gloriam referimus, et unigenito, &c.

POPULUS. Amen.

SACERDOS INCLINATUS. Memento Domine Regum et Reginarum, qui veram religionem profitentur: auxilium illis da per armaturam spiritus: omnes qui illos oderunt subjice illis, ut nos tranquillam vitam agamus.

ELEVANS VOCEM. Quia tu es salvator et auxiliator,

dasque victoriam omnibus qui sperant in te, Domine, tibique gloriam referimus et unigenito, &c.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Quandoquidem tu vivorum et mortuorum dominaris, memento Patrum sanctorum, Prophetarum, Apostolorum, Virginum, Genitricis Dei, Joannis Baptistæ, Stephani, Martyrum, simul cum omnibus justis.

Elevans vocem. Rogamus te, Domine, ut robur des impotentiæ nostræ: adjunge nos cœtui primogenitorum descriptorum in cœlis. Eorum autem commemorationem facimus, ut etiam ipsi memores nostri sint coram te, et communicent nobiscum huic sacrificio spirituali, ad conservationem vivorum, ad confortationem eorum qui inter nos ægrotant, et ad requiem fidelium qui decubuerunt Patrum, fratrum et magistrorum nostrorum, per gratiam, et miserationes unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti, nunc, &c.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam, Domine, Præsulum verorum, eorum qui a Jacobo principe Episcoporum, usque ad hanc diem, orthodoxam fidem in Ecclesiis tuis confirmaverunt.

Elevans vocem. Doctrinam illustrium illorum doctorum, qui portaverunt nomen tuum sanctum, coram populis, regibus, et filiis Israel, in animabus nostris confirma: hæreses nobis perniciosas comprime: et præsta nobis ut consistere absque reprehensione possimus coram tribunali tuo tremendo: quia sanctus es, et sanctificator sanctorum; tibique gloriam referimus, et unigenito Filio tuo, &c.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, omnium ex Ordine Ecclesiastico, qui in fide Orthodoxa pridem obierunt et quieverunt: et cujuscumque, pro quo

sacrificium obtulerunt, et eorum qui nunc nominantur.

ELEVANS VOCEM. Domine, Domine Deus spirituum et omnis carnis, memento omnium eorum, qui in fide recta a nobis migraverunt: quietem præsta corporibus animabus et spiritibus eorum, et libera eos a damnatione quæ finem non habet. Cumula eos lætitia, in regione quam illuminat splendor vultus tui, delens prævaricationes eorum, nec intrans in judicium cum illis; neque enim quisquam purus est a peccato coram te, nisi solus unigenitus filius tuus, per quem etiam, et propter quem speramus misericordiam consequi, et nobis et illis.

POPULUS. Amen.

SACERDOS INCLINATUS. Remitte et parce Deus peccatis quæ commisimus, cogitatione, verbo et opere, manifestis et occultis, quæ tibi manifesta sunt.

ELEVATA VOCE. Finem nostrum autem absque peccato custodi, Domine, et congrega nos sub pedibus electorum tuorum, quando, ubi, et quomodo volueris, solummodo absque confusione propter peccata quæ commisimus, ut in omnibus glorificetur, et celebretur nomen tuum honorandum et benedictum, simulque Domini nostri Jesu Christi et Spiritus sancti, nunc, &c.

POPULUS. Sicut.

SACERDOS. Misericordiæ Dei sint.

Sacerdos frangit et signat: Diaconus dicit Catholicam.

SACERDOS DICIT ORATIONEM ANTE Pater noster.

Deus et Pater Domini nosti Jesu Christi, qui a Cherubim benediceris, et a Seraphim sanctificaris, quique a millies millenis, et decies millies decies millenis, exercituum spiritualium extolleris, qui oblationes, et fructus qui in odorem suavem tibi oblati sunt, sanctificas et perficis: sanctifica etiam animas, corpora et spiritus nostros, ut corde puro et facie non

confusa, invocemus te, Pater cœlestis, oremusque et dicamus: Pater noster qui es in cœlis.

POPULUS. Sanctificetur, &c.

SACERDOS. Domine, ne inducas nos in tentationem, &c. referemus tibi gloriam et gratiarum actionem et unigenito.

POPULUS. Amen.

SACERDOS. PAX.

POPULUS. Et cum spiritu tuo.

DIACONUS. Inclinate capita vestra Domino.

POPULUS. Coram te.

SACERDOS. Inclinaverunt tibi capita sua servi tui pauperes, quia divites sunt misericordiæ tuæ: mitte Domine benedictiones, et sanctifica animas, corpora et spiritus omnium nostrum, et fac nos dignos communicandi mysteriis vivificantibus Christi Salvatoris nostri: referemusque tibi gloriam et laudem et unigenito. POPULUS. Amen.

SACERDOS. Pax.

POPULUS. Et cum spiritu tuo.

SACERDOS. Sint.

DIACONUS. Cum timore. Kyrie eleison.

POPULUS. Unus Pater.

Oratio gratiarum actionis.

SACERDOS. Gratias agimus tibi, Domine, propter multitudinem miserationum tuarum, per quas meruimus communionem mensæ tuæ cœlestis. Ne condemnemur, Domine, propter susceptionem mysteriorum tuorum sanctorum; verum præsta nobis, ut communicemus Spiritui tuo sancto, et cum omnibus justis qui a sæculo fuerunt inveniamus partem et hæreditatem, referamusque tibi gloriam et gratiarum actionem, et unigenito, &c.

POPULUS. Amen.

SACERDOS. Pax.

DIACONUS. Post susceptionem.

POPULUS. Coram te.

SACERDOS. Deus magnus et admirabilis, qui propter salutem generis nostri humani inclinavisti cœlos, et descendisti: propitius esto et miserere nobis, ut perpetuo glorificemus te Deum Patrem, Filium tuum et Spiritum tuum sanctum, nunc, &c. Amen.

Benedic, Domine. SACERDOS. Benedic omnibus nobis.

XXVII. LITURGIA SANCTI PETRI,

PRINCIPIS APOSTOLORUM.

EX SYRIACO VERSA A V. C. EUSEBIO RENAUDOTO.

Primum Oratio ante Pacem.

Sacerdos. Excelse qui es in sæcula, et solus potens, caritas perfecta et amor naturalis: Deus pacis et Dominus tranquillitatis: da nobis omnibus, nosque dignos effice, ut in inspiratione vitæ, a misericordia tua, amplectamur invicem in osculo, quod sit sine dolo, et digni efficiamur tranquillitate quæ a te est, et quæ pacificis datur: per adventum miserationum Dei magni et Salvatoris nostri Jesu Christi, per quem et cum quo te decet gloria et honor.

Populus. Amen.

Sacerdos. Nunc quoque Domine, illumina vultum tuum super nos, et salva nos ab omnibus inimicis qui oderunt nos: dele etiam et dimitte iniquitates nostras: et referemus tibi gloriam, &c.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det pacem unusquisque.

Populus. Omnes.

Diaconus. Post.

Sacerdos. Inclinationem collorum nostrorum tibi et coram te offerimus, ut percipiamus a te benedictionem, quæ præparata est humilibus corde, quia tu es judex cogitationum, et scrutator mentium Domine,

et tibi gloriam referimus, et unigenito Filio tuo, &c.

Populus. Amen.

Sacerdos. Quia per abundantiam divitis misericordiæ tuæ, Deus Pater, ad salutem nostram misisti Filium tuum, ut eum qui errore peccati seductus fuerat voluntate sua, deduceret: et liberaret a fovea mortis et Satanæ; et ipse per se ipsum purgationem fecit lepræ illius: tu etiamnum Domine illumina vultum tuum, et salvi efficiamur hoc tempore, quo simul cum mysteriis istis sanctis, quæ tibi offeruntur, deprecationes nostras tibi offerimus, ut nobis non sint in condemnationem, neque in reatum, sed in cordis conformationem, et aspersionem conscientiæ mundæ, et ad remissionum omnium iniquitatum nostrarum: per amorem erga homines tuum, et unigeniti tui qui ab æterno a te genitus est, Spiritusque paracleti, vivificantis, tibique connaturalis et consubstantialis, nunc, &c.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus.

Sacerdos. Caritas Dei Patris, &c.

Populus. Et cum Spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere dignum et justum est ut te glorificemus, te adoremus, te laudemus, te exaltemus opificem omnium creaturarum visibilium et invisibilium, illis enim voces laudis tibi offeruntur.

Elevans vocem. Glorificant te Domine ordines Angelorum, legiones Archangelorum, catervæ virtutum immaterialium, quæ indesinenter extollunt voces jubilorum absque reversione, cum effusione scientiæ, et timore, et cum sapientia, variis sanctificationibus

distincta, extollunt voces, clamant, vociferantur et dicunt:

POPULUS. Sanctus.

SACERDOS INCLINATUS. Quis enim infinite sanctus est, aut a quo quæremus fontem sanctitatis; aut in quo est origo perennis sanctorum nisi in te, Pater ingenite, et in Filio tuo, nato, adorando, qui e sinu tuo prodiit, et in Spiritu tuo, qui non temporaliter a te procedit? per sanctitatem incomprehensibilem conscientiæ habita in nobis, sanctifica nos, et dirige nos. Non tenuiter, sed beate: et secundum amorem tuum erga homines purgati simus a passionibus, et mundati a vinculis peccati, ut doctrinam mysticam unigeniti Filii tui suscipiamus, et tecum sit delectatio nostra.

ELEVANS VOCEM. Et quum epulum illud de corpore et sanguine sancto præpararet, nobis impertiendo, et propinqua esset salutaris ejus passio, panem accepit super manus suas ab omni macula immunes, et elevavit eum, et aspectu visibili, tum etiam insensibili benedictione dignatus est, et benedixit eum, + sanctificavit eum + et fregit + deditque discipulis apostolis suis dicens, "Mysteria hæc viatica vobis sint, et quandocumque comedetis istud ad modum alimenti, credite et certum habete, quod est corpus meum quod pro vobis et pro multis frangitur, et datur ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam æternam." POPULUS. Amen.

SACERDOS. Similiter et calicem postquam cœnaverunt, miscuit vino et aqua, + et benedixit eum, + et sanctificavit, + et dedit discipulis suis apostolis dicens, "Accipite, bibite ex eo vos omnes: hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur et datur, in veniam delictorum, remissionem peccatorum et vitam æternam."

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut autem fructum suavissimum divinæ illius operationis perciperent, præcepit illis in hunc modum: "Quotiescumque simul congregati eritis, memoriam mei facite, et panem hunc propositum edentes, et mistum quod in hoc calice præparatum est bibentes, mortis meæ commemorationem agetis, et resurrectionem meam confitebimini donec veniam."

Populus. Mortis tuæ, Domine.

Sacerdos. Adventum miserationum tuarum expectamus, Domine, Dominus noster, refugium peccatorum, quo examen fiet justorum et peccatorum, per retributionem bonorum et malorum; quando ad judicium vocabis omnes homines, et eos qui te in veritate coluerunt, vera voluptate perfundes: eos autem qui declinaverunt a semita vitæ, in gehennam ignis comburendos mittes. Ne suffundas nos pudore peccatorum nostrorum, neque rei simus communionis mysteriorum sanctorum istorum, quia imaginis tuæ nomine ornati sumus: neque de nobis gaudeat rex aeris, cum malignis catervis suis, quia sanguine tuo redempti sumus: sed oriri fac super nos lumen illud tuum, quod die secundi adventus tui emittes super timentes te, et salus cito nobis sit. Ecclesia namque tua, et grex tuus deprecatur te, et per te, ac tecum Patrem tuum dicens. Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Te laudamus.

Diaconus. Quam timenda est hæc hora!

Sacerdos inclinatus dicit Orationem Invocationis Spiritus sancti.

Miserere nostri, Domine, miserere nostri, et mitte ad nos e folio tuo regio, et ex throno tuo infinito, Spiritum tuum sanctum, et Paracletum, ejusdem cum tua majestate naturæ; consubstantialem, vitæ largi-

torem, throno et æternitate æqualem: qui operatur in prophetis, et apostolis, martyribus et confessoribus, regibus, rectoribus, sacerdotibus et omnibus ordinibus Ecclesiæ fidelis. Qui apparuit in columbæ specie super Dominum nostrum Jesum Christum in Jordane fluvio: qui descendit super apostolos tuos sanctos in specie linguarum ignis. Et nunc requiescat, et maneat super oblationes nostras, et super nos infirmos, ut possimus percipere afflatum et radium adventus ejus, et illabatur super nos et super has oblationes propositas, easque sanctificet.

SACERDOS. Exaudi me Domine.

POPULUS. Kyrie eleison. *ter.*

SACERDOS. Ut illabens, efficiat panem quidem hunc + corpus salutare, + corpus vivificum, + corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam æternam illis qui suscepturi sunt.

POPULUS. Amen.

SACERDOS. Similiter etiam calicem hunc instituat, + potum cœlestem, + sanguinem salutarem, + sanguinem vivificum, sanguinem Domini Dei et Salvatoris nostri Christi, ad remissionem eorum quæ insipienter commissa sunt, et relaxationem peccatorum suscipientibus.

POPULUS. Amen.

SACERDOS. Nobis autem, qui illorum participes futuri sumus, sit ad purgationem animarum et corporum, ad mores Evangelicos, et ad confirmationem Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ, quæ fundata est super petram fidei, de qua dixisti, quod portæ inferi non prævalebunt adversus eam, liberans illam ab hæresibus et a scandalis operantium iniquitatem, in sæcula sæculorum.

SACERDOS INCLINATUS. Suscipe confessionem nos-

tram, O rex noster, et per eam conciliatus, tranquillitatem dona populo tuo, et pacem gregi tuo, conservationem Pastorum Orthodoxorum: præcipue vero Patriarchæ nostri Domini N. et D. N. Episcopi nostri, cum reliquis omnibus Episcopis Orthodoxis. Verbum præclarum concede illis, ut pie gregi tuo ornamento sint, et a doctrina errorum eum prohibent.

ELEVANS VOCEM. Fac eos stantes cum vultu potenti, et verbum veritatis recte administrantes exhibe illos, ut summâ diligentiâ illorum, pace quæ a te est, vita illorum abundet, et greges tibi acquisitos pascant alimentis alienis ab omni fraude, per gratiam, misericordiam et amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet, &c.

POPULUS. Amen.

SACERDOS INCLINATUS. Iterum dignare, Domine, meminisse eorum qui præceperunt nobis, ut in hac hora memoriam eorum haberemus in nostris apud te orationibus: et eorum qui has oblationes obtulerunt, eorumque pro quibus oblatæ sunt: nec non illorum qui offerre quidem voluerunt, sed non potuerunt.

ELEVANS VOCEM. Memento, Domine, et illorum qui in animo statuerunt, ut Ecclesiam tuam sanctam Catholicam et Apostolicam juvarent verbo doctrinæ vitæ, et operibus quæ ad veritatis tuæ agnitionem conferrent, eisque refugium et adjutor esto, liberans eos ab omni dæmonum, malorumque hominum et inexorabilium malignitate: per gratiam, misericordiam et amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria. &c.

SACERDOS INCLINATUS. Memento etiam, Domine, illorum et illarum, qui regnum temporale obtinent fidelium, ut tam nos quam illi tranquillam et quietam vitam agamus, in omni timore Dei et castitate.

ELEVANS VOCEM. Et mentes eorum, qui regnum

super populum tuum ambiunt, ad te inclina, Domine, et ad bona propensos perfice illos: ut nos pariter sacerdotium cum illis, in ea tranquillitate, quæ cum eorum conservatione constet, administremus, et cum illis tibi gloriam referemus, et unigenito Filio tuo.

SACERDOS INCLINATUS. Dignare etiam, Domine, meminisse sanctæ et præclaræ semper Virginis Beatæ Mariæ, et cum ea, Prophetarum et Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Piorum, Sacerdotum et Justorum, qui in fide vera perfecti extiterunt, et B. Joannis præcursoris et Baptistæ, et S. præclari Stephani primi Diaconorum, et protomartyris, atque omnium sanctorum.

ELEVANS VOCEM. Deprecationem tibi offerimus, O princeps Deus, ut illis, qui in angustia constituti exitum non habent, latitudinem præstes: et illis qui absque rectore sunt, gubernationis tuæ beneficium conferas. Fac nos dignos parte eorum qui tibi in veritate servierunt, placueruntque tibi, quorum memoria in æternum subsistet, ut cum eis digni efficiamur referendi gloriam et laudem sine fine, tibi et unigenito Filio tuo.

SACERDOS INCLINATUS. Memento, Domine, illorum qui in domo sanctorum nos præcesserunt, occubuerunt et quietem acceperunt, Patrum sanctorum, Doctorum Orthodoxorum, maxime vero Ignatii, Dionysii et reliquorum sanctorum, ut per orationes et deprecationes eorum liberemur a dolis ejus qui ex adverso est, et ab hominibus nequam.

ELEVANS VOCEM. Et illorum, qui luculenter detulerunt annunciationem tuam vivificam, in omnem terram quæ sub cœlo est, et Ecclesiam tuam sanctam confirmaverunt per fidem Orthodoxam, memento, et per orationes eorum puras, nos quoque per misericordiam tuam, et spem quæ a te est, inter cœtus eorum aggrega.

SACERDOS INCLINATUS. Per hoc sacrificium quod manibus nostris peccatricibus tibi offertur, Domine, memoriam fac patrum, fratrum, magistrorumque nostrorum, qui pridem defuncti et ex hoc mundo profecti ad te pervenerunt: omniumque fidelium defunctorum hujus, et cujuscumque loci, præcipue vero illorum pro quibus offertur hæc oblatio.

ELEVANS VOCEM. Domine, Domine amator hominum, in sinu Abrahæ colloca, et quiescere jube eos, qui in fide orthodoxa humanæ vitæ periodum compleverunt, et vita hac temporali exsoluti sunt: auferens et dimittens omnes iniquitates illorum et nostras, per tuum erga homines amorem, quia impossibile est illis qui vel unico momento, aliquam temporalem voluptatem perceperunt, ut non rei inveniantur, nisi ei, qui ex sinu tuo prodiit ab æterno, Dominus et Salvator noster Jesus Christus, per quem etiam nos misericordiam consequi speramus, et remissionem peccatorum, quæ propter eum est, et nobis et ipsis.

POPULUS. Quietem præsta.

SACERDOS. Libera, solve et dimitte, Domine, errores et insipientias servorum et ancillarum tuarum secretas et occultas, abstrusas et publicas, præteritas et futuras, quando tibi placebit nos et illos liberare a confusione in conspectu tuo: et ad delicias tuas beatas perveniant, ut in nobis, pro nobis, et propter nos, glorificetur, et laudetur nomen tuum benedictum, et Domini nostri Jesu Christi et Spiritus tui sancti, nunc et semper, &c.

POPULUS. Amen.

SACERDOS. Pax.

POPULUS. Et cum spiritu tuo.

SACERDOS. Benedictiones Dei sint, &c.

POPULUS. Et cum spiritu tuo.

DIACONUS. Iterum atque iterum.

Sacerdos frangit Eucharistiam, mox dicit Orationem ante Pater noster.

Deprecamur te Deus Pater, curator noster, consolator mœstitudinis nostræ, et confortator infirmitatis nostræ : qui ultra omne tempus super thronum tuum requiescis, et a virtutibus cœlestibus potenter glorificaris : qui legiones ignitas ardore tuo infinito succendis ; qui primitias et oblationes has nostras, quæ a nobis tibi haud indigenti oblatæ sunt, sanctificare, perficere et suscipere dignatus es, per præsentiam unigeniti Filii tui, et illapsum Spiritus sancti : munda nos ab omni macula, et immunitatem ab omni impuritate (da nobis) ut uno spiritu recto, et caritate inextincta, quæ filios decet, absque confusione, clamemus et dicamus : Pater noster qui es in cœlis.

POPULUS. Sanctificetur nomen tuum, &c.

SACERDOS. Deus benigne ne inducas nos in tentationem probationis, quam sustinere non possimus : sed secundum miserationes tuas multas adjuva nos, dans nobis exitum tranquillum, qui nos eripiat et liberet ab omnibus plagis furoris, et a fœtore diabolico, quia tuum est imperium, et potestas, regnumque tuum permanet in sæcula sæculorum, et tibi gloria.

POPULUS. Amen.

SACERDOS. Pax.

POPULUS. Et cum spiritu tuo.

DIACONUS. Ante.

POPULUS. Coram te.

SACERDOS. Benedic, Domine Deus, servis tuis istis, quorum colla tam animarum quam corporum inclinata sunt, quique te deprecantur. Fac nos et illos, Domine, dignos benedictionibus mysteriorum tuorum sanctorum et immaculatorum, et venia peccatorum nostrorum, et illorum : ut pure et sancte communicemus corpori et sanguini unigeniti Filii tui. Educ ex nobis

odorem operum bonorum, et referemus tibi gloriam, &c.

POPULUS. Amen.
SACERDOS. Pax.
POPULUS. Et cum Spiritu tuo.
SACERDOS. Sit gratia, &c.
DIACONUS. Stemus decenter.
POPULUS. Laudamus.

Sacerdos dicit Orationem Gratiarum actionis.

Omnem veram gratiarum actionem, et maxime sinceram tibi offerimus Domine, propter donum illud quod nobis quamvis indignis dedisti. Ne statuas nos, Domine, cum pudore peccatorum nostrorum, neque reatum incurramus ob susceptionem mysteriorum horum sanctorum, sed refugium et adjutor esto nobis, et a spiritibus inimicis qui luctantur nobiscum, libera nos, per eorum commistionem, et simul referemus tibi gloriam et laudem.

POPULUS. Amen.
SACERDOS. Pax.
POPULUS. Et cum spiritu tuo.
DIACONUS. Post susceptionem, &c.
POPULUS. Coram te Domine.
SACERDOS. Emitte, Domine, manum tuam potentem et invisibilem, et benedic servis tuis istis in templo tuo congregatis: conserva illos per crucem tuam, et perfice illos per abundantiam benedictionum tuarum: ut nos et illi, nunc et in sæculis futuris et infinitis referamus tibi gratiarum actionem, et Patri tuo, &c.
POPULUS. Amen.
DIACONUS. Benedic, Domine.
SACERDOS. Benedic omnibus nobis.

LITURGIA S. PETRI ALTERA.

Oratio ante Pacem.

SACERDOS. Tibi et coram te, Domine, inclinamus colla animarum, corporumque nostrorum, ut a te accipiamus benedictionem, et auxilium infirmitati nostræ; quia tu adjutor et refugium omnium es, et tibi gloriam et laudem referimus et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto.

SACERDOS ELEVANS VOCEM. Tu etiamnum, Domine, illumina faciem tuam super nos, et ab omnibus inimicis, qui odio nos habent, libera nos: dele, et dimitte universas iniquitates nostras, et referemus, &c.

POPULUS. Amen.

SACERDOS. Deus pacis, et Dominus tranquillitatis Domine, da nobis omnibus, dignosque nos effice, ut spiritu a misericordia tua non diviso, amplectamur invicem, in osculo doli experte, et referemus tibi gloriam, &c.

POPULUS. Amen.

DIACONUS. Stemus decenter. Date pacem.

SACERDOS. Caritas, &c.

POPULUS. Amen.

SACERDOS. Sursum corda.

POPULUS. Habemus ad Dominum.

SACERDOS. Gratias agamus Domino.

POPULUS. Dignum et justum est.

SACERDOS INCLINATUS. Vere æquum, et justum est, ut te laudemus, et extollamus, opificem omnium creaturarum, tam superiorum quam inferiorum.

ELEVANS VOCEM. Laudamus te, Domine, cum Angelis, et Archangelorum legionibus, qui vocibus laudis inclamant, vociferantur, et dicunt:

POPULUS. Sanctus, Sanctus.

SACERDOS INCLINATUS. Sanctus es, et magnæ mise-

ricordiæ, Domine, qui per amorem tuum erga homines Filium tuum misisti in mundum: et ipse in Virgine Maria incarnatus est ad salutem nostram.

ELEVANS VOCEM. Qui quum vellet gustare mortem, et Pascha vespere perficeret, accepit panem in manus suas, + benedixit, + sanctificavit, + et fregit, deditque turbæ Apostolorum sanctorum, et dixit, "Accipite et manducate. Hoc est corpus meum, quod pro vobis et pro multis frangitur et dividitur in expiationem delictorum, remissionem peccatorum et vitam æternam."

POPULUS. Amen.

SACERDOS. Similiter et calicem miscens vino, et aqua, + benedixit, + sanctificavit, + dixit eis, "Accipite, bibite ex eo vos omnes. Hic est calix sanguinis mei Novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur, in expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam æternam."

POPULUS. Amen.

SACERDOS. Hoc præcepit, et monuit illos, quod 'Quotiescumque mysteria hæc perficietis, mortem et resurrectionem meam commemorabitis donec veniam.'

POPULUS. Mortem tuam.

SACERDOS. Adventum tuum salutarem et secundum illum, commemorantes, Domine, laudem cum deprecatione majestati tuæ offerimus, ut in timendo illo, et terribili judicii die, in quo justorum, et peccatorum examen institues, non secundum peccata nostra, tradas nos ardori fletuum et pœnarum, neque propter nequitias, et insipientias nostras cruciemur, et pœnis afficiamur, imo propitius esto, Domine, miserere nostri, et averte faciem tuam a peccatis nostris et adjuva nos: propter hoc Ecclesia tua et grex tuus deprecantur te, et per te et tecum Patrem tuum, dicens.

POPULUS. Miserere nostri.
SACERDOS. Nos quoque.
POPULUS. Te laudamus.
SACERDOS. Præcipue.
DIACONUS. Quam timenda est hæc hora.

Sacerdos inclinatus dicit invocationem Spiritus sancti.

Miserere nostri, Domine, miserere nostri: mitte super nos et super has oblationes, Spiritum tuum sanctum, mysteriaque hæc sanctifica, nobisque auxilium tribue et veniam.

ELEVANS VOCEM. Exaudi me, Domine.

POPULUS. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

SACERDOS. Ut adveniens efficiat panem hunc corpus Christi Dei nostri.

POPULUS. Amen.

SACERDOS. Et calicem hunc, sanguinem Christi Dei nostri.

POPULUS. Amen.

SACERDOS. Ut sint communicantibus ad corporum et animarum emundationem ab omnibus maculis, ad remissionem peccatorum, et vitam æternam.

POPULUS. Amen.

DIACONUS. Oremus.

SACERDOS INCLINATUS. Suscipe deprecationem, et supplicationem nostram, Domine, et concede tranquillitatem populo tuo, et pacem gregi tuo, et custodi veros pastores, cum sacerdotibus, et diaconis, omnemque clerum Ecclesiæ tuæ adjuva.

ELEVANS VOCEM. Statue eos, Domine, firmos, et potentes: et auxilio, et tranquillitate quæ ex te est, confirma illos, ita ut deprecatores, et intercessores pro nobis sint apud te, et referemus tibi, &c.

POPULUS. Amen.

SACERDOS INCLINATUS. Rursus Domine dignare

meminisse illorum, qui præceperunt nobis ut memores eorum essemus, et eorum qui, quum offerre vellent, non potuerunt.

ELEVANS VOCEM. Memento etiam Domine eorum qui Ecclesiam tuam sanctam adjuvant: esto eis latibulum et domus refugii, liberans eos ab omni dæmonum hominumque nequam machinatione, quia tu Salvator es omnium, et tibi gloriam, et laudem referimus, &c.

POPULUS. Amen.

SACERDOS INCLINATUS. Memento Domine Regum fidelium, et immitte cordibus eorum consilia pacifica circa populum tuum.

ELEVANS VOCEM. Mentem eorum qui regnare super nos volunt, fac Domine pacificam, et ab invidorum hostiumque manibus nos libera: ut referamus tibi, &c.

SACERDOS. Amen.

SACERDOS INCLINATUS. Iterum Domine dignare meminisse Virginis sanctæ Mariæ, et cum ea omnium Prophetarum, et Apostolorum: cum Martyribus, et Confessoribus, reliquisque omnibus sanctis.

ELEVANS VOCEM. Orationibus, et deprecationibus eorum adjuva nos Domine, et parce nobis: sorteque eorum dignos nos effice, ut cum illis, et inter illos referamus tibi, &c.

POPULUS. Amen.

SACERDOS INCLINATUS. Memento Domine et illorum, qui in sanctorum domo jam obdormierunt, et quieverunt, sanctorum Patrum, et Doctorum; ut orationibus, et intercessionibus eorum, ab adversarii dolis eripiamur, nec non ab hominibus perversis.

ELEVANS VOCEM. Et eorum qui sedulo Evangelium tuum in omni terra circumtulerunt, et Ecclesiam tuam sanctam in orthodoxa fide confirmaverunt: per

orationes eorum puras, omnes adjuva, et in misericordia tua confirma, ut cum illis, et inter illos referamus tibi gloriam, &c.

POPULUS. Amen.

SACERDOS INCLINATUS. Præsta, Domine, per sacrificium hoc quod peccatricibus meis manibus tibi offertur, memoriam bonam patribus, fratribus, et magistris nostris, et omnibus fidelibus defunctis istius; et cujuscumque loci.

ELEVANS VOCEM. Domine, Domine, hominum amator, in sinu Abrahamæo colloca eos qui in vera fide vitam suam consummârunt, auferens dimittensque omnes iniquitates, et prævaricationes illorum, et nostras: quia nullus est a peccatis immunis, nisi Dominus Deus, et Salvator noster Jesus Christus, per quem, et misericordiam consequi, et remissionem peccatorum nobis, et ipsis speramus, propter eum.

POPULUS. Dimitte.

SACERDOS. Ignosce, Domine, et dimitte errores, et insipientias servorum ancillarumque tuarum, tam occultas quam manifestas, et nos eripe a confusione coram te, ut in nobis propter nos, et nostri causa glorificetur, et laudetur nomen tuum benedictum, et Filii tui Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus tui vivi, et sancti, nunc, &c.

POPULUS. Sicut.

SACERDOS. Pax.

POPULUS. Et cum spiritu tuo.

SACERDOS. Misericordiæ.

DIACONUS. Credimus.

Sacerdos frangit oblatam. Oratio ad Pater noster.

Deprecamur te Deus pater, consolator, et confortator infirmitatis nostræ, purifica nos ab omni immunditia iniquitatis, et peccati, et suscipe has oblationes, quas pro peccatis nostris, tibi offerimus,

ut uno eodemque spiritu, clamemus ad te, oremus, et dicamus, Pater noster qui es in cœlis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. Deus benigne, ne inducas nos in tentationum experimenta, quia virtutem non habemus ad sustinendum: sed pro misericordia tua magna, eripe, et salva nos ab omnibus plagis furoris; quia tua est potentia, et regnum, et tibi gloriam, et laudem referimus.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax. Populus. Et cum.

Diaconus. Inclinate.

Sacerdos. Benedic Domine Deus servos, et adoratores tuos, qui animarum, et corporum colla coram te demiserunt et te deprecantur. Dignos effice illos Domine, misericordia tua, et venia suorum, nostrorumque peccatorum, quia multæ misericordiæ et omnipotens tu es, et tibi gloriam referimus. &c.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum.

Sacerdos. Sit.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos. *Oratio post communionem.*

Confitemur tibi, Domine, et gratias agimus tibi hujus muneris causa quo nos beâsti, licet indignos. Ne imponas nobis peccatorum nostrorum pudorem, sed eripe nos a spiritibus adversariis, qui nobiscum colluctantur, et una voce referemus tibi gloriam, &c.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax. Populus. Et cum.

Diaconus. Iterum atque iterum.

SACERDOS. Demitte, Domine, manum tuam, et benedic servis tuis illis, qui hic congregati sunt, custodi eos signo crucis tuæ, et esto eis latibulum, et refugium ab universis hostibus publicis, et occultis, et perfice eos effusis benedictionibus tuis, ut nos, et ipsi referamus tibi gloriam. POPULUS. Amen.

DIACONUS. Benedic, Domine.

SACERDOS. Benedic omnibus.

DIACONUS. Benedicam.

XXVIII.

'Η ΘΕΙΑ ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΑ ΤΟΥ 'ΑΓΙΟΥ 'ΑΠΟΣΤΟΛΟΥ ΠΕΤΡΟΥ.

Εὐχὴ εἰς τὸ προσκομίσαι τὸν ἄρτον.

'Ως πρόβατον ἐπὶ σφαγὴν ἤχθη, καὶ ὡς ἀμνὸς ἐναντίον τοῦ κείροντος αὐτὸν ἄφωνος, οὕτως οὐκ ἀνοίγει τὸ στόμα αὐτοῦ· ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη· τὴν δὲ γενεὰν αὐτοῦ τίς διηγήσεται; τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.

Καὶ εἰς τὸ ἑνῶσαι τὸν οἶνον καὶ τὸ ὕδωρ λέγει.

Εἷς δὲ τῶν στρατιωτῶν λόγχῃ αὐτοῦ τὴν πλευρὰν ἔνυξε, καὶ εὐθέως ἐξῆλθεν αἷμα καὶ ὕδωρ, τὸ πηγάσαν τὴν τοῦ κόσμου σωτηρίαν.

Εἶτα ποιεῖ τὴν εὐχὴν τῆς προθέσεως.

Κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν, ὁ προθεὶς ἑαυτὸν ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου

ζωῆς, ἔπιδε ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τὸν ἄρτον τοῦτον, καὶ ἐπὶ τὸ ποτήριον τοῦτο, καὶ ποίησον αὐτὸ ἄχραντόν σου σῶμα, καὶ τίμιον αἷμα εἰς μετάληψιν ψυχῶν τε, καὶ σωμάτων· ὅτι ἡγίασται καὶ δεδόξασται τὸ πάντιμον καὶ μεγαλοπρεπὲς ὄνομά σου τοῦ πατρός.

Εὐχὴ τοῦ θυμιάματος.

Ὁ Θεὸς, ὁ ἅγιος, ὁ ἐν ἁγίοις ἀναπαυόμενος, φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον, αὐτὸς δέσποτα οἰκείᾳ φιλανθρωπίᾳ πάριδε ἡμῶν τὰς πολλὰς ἁμαρτίας, καὶ ὡς προσεδέξω τὸ θυμίαμα Ζαχαρίου, οὕτω καὶ ἐκ τῶν χειρῶν ἡμῶν τῶν ἁμαρτωλῶν πρόσδεξαι τὸ θυμίαμα τούτο εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, καὶ ποίησον ἔλεος μεθ' ἡμῶν· ὅτι ἡγίασται καὶ δεδόξασται τὸ πάντιμον καὶ μεγαλοπρεπὲς ὄνομά σου τοῦ πατρὸς κ. τ. λ.

καὶ θυμιῶν καλύπτει τὰ δῶρα, λεγων,

Ἐκάλυψεν οὐρανοὺς ἡ ἀρετή σου, Κύριε, καὶ τῆς αἰνέσεώς σου πλήρης ἡ γῆ.

καὶ ἐπάγει λέγων,

Ὁ κύριος ἐβασίλευσεν, ὀργιζέσθωσαν λαοί· ὁ καθήμενος.

καὶ θυμιᾷ τὸν λαόν· εἶτα ἐκφώνως ὁ διάκονος,

Εὐλόγησον, δέσποτα.

ὁ ἱερεὺς λέγει,

Εὐλογημένη ἡ βασιλεία τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ.

ὁ διάκονος.

Ἐν εἰρήνῃ τοῦ Κύριου δεηθῶμεν, ὑπὲρ τῆς ἄνωθεν εἰρήνης. ὑπὲρ τῆς εἰρήνης τοῦ· ὑπὲρ τοῦ ἁγίου οἴκου· ὑπὲρ τοῦ πατρὸς καὶ πατριάρχου ἡμῶν τοῦδε τοῦ τιμίου· ὑπὲρ τῶν εὐσέβεστάτων· ὑπὲρ τοῦ συμπολεμῆσαι· ὑπὲρ τῆς πόλεως ταύτης· ὑπὲρ εὐκρασίας ἀέρων· ὑπὲρ πλεόντων, ὁδοιπορούντων· ὑπὲρ τοῦ ῥυσθῆναι ἡμας.

Ὁ ἱερεὺς ποιεῖ εὐχὴν τῆς εἰσόδου.

Δέσποτα Κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν ὁ καταστήσας ἐν οὐρανοῖς τάγματα καὶ στρατιὰς ἀγγέλων. Καὶ τὰ ἑξῆς·

ζήτει εἰς τὴν λειτουργίαν τοῦ ἁγίου Βασιλείου.

Ἀντιλαβοῦ, σῶσον, ἐλέησον. Τῆς παναγίας. Ὅτι πρέπει σοι πᾶσα δόξα, τιμή, καὶ.

καὶ εὐθέως· σοφία ὀρθή. Δεῦτε προσκυνήσωμεν, καὶ προσπέσωμεν αὐτῷ.

Ὁ μονογενὴς υἱὸς καὶ λόγος τοῦ θεοῦ ἀθάνατ.

Εἶτα ὁ ἱερεὺς λεγει λαμπρᾷ τῇ φωνῇ,

Ὁ κύριος μεθ' ὑμῶν.

ὁ λαός.

καὶ μετὰ τοῦ πνεύματός σου.

Ὁ ἱερεύς.

εὐξώμεθα.

ὁ λαός.

Κύριε ἐλεήσον. γ'.

Ὁ ἱερεὺς μεγάλῃ τῇ φωνῇ.

Παράσχου ἡμῖν, Κύριε, τοῖς δούλοις σου δεξιὰν οὐρανίου βοηθείας, ἵνα σε ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ ἐκζητήσωσι, καὶ ἅπερ ἀξίως αἰτοῦνται κατευοδωθῶσι, διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, μεθ' οὗ ζῇς καὶ βασιλεύεις ὁ θεός ἡμῶν εἰς ἑνότητα πνεύματος ἁγίου, εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας· ὁ λαὸς. Ἀμήν. Ἅγιος ὁ θεὸς, ἅγιος, ἰσχυρὸς.

Καὶ τοῦ λαοῦ λέγοντος τὸν τρισάγιον, ὁ ἱερεὺς ἐπεύχεται.

Δέσποτα ὁ θεὸς παντοκράτωρ, ὁ μόνος ἅγιος καὶ ἐν ἁγίοις ἀναπαυόμενος, ὁ ὑπὸ τῶν οὐρανίων δυνάμεων τὸν τρισάγιον ὕμνον προσδεχόμενος, πρόσδεξαι καὶ ἐκ στόματος ἡμῶν τῶν ἁμαρτωλῶν τὸν τρισάγιον ὕμνον, χαριζόμενος ἡμῖν τὰ ἐλέη σου καὶ τοὺς οἰκτιρμούς σου, πρεσβείαις τῆς ἁγίας θεοτόκου, καὶ πάντων τῶν ἁγίων σου.

Ὁ ἱερεύς.

προσχῶμεν· εἰρήνη πᾶσιν.

ὁ λαός.

καὶ τῷ πνεύματί σου.

ἱερεύς.

σοφία.

Εἶτα λέγει προσκείμενον Ἀποστολικόν ἀλληλούια καὶ εὐαγγέλιον, καὶ εὐθέως ἐκτενῆ, ἐλέησον ἡμας ὁ θεός καὶ λέγει εὐχὴν τῆς ἐκτενῆς.

Κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν τὴν ἐκτενῆ ταύτην ἱκεσίαν. Ζήτει.

προεγράφη εἰς τὴν λειτουργίαν τοῦ ἁγίου Βασιλείου. Καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν καὶ τὴν ἐκφώνησιν εὐθέως λέγει· Οἱ σὰ χερουβὶμ μυστικῶς. Καὶ λέγει ὁ ἱερεὺς εὐχὴν ὑπὲρ ἑαυτοῦ, τοῦ χερουβὶμ· ᾄδων οὕτως. Οὐδεὶς ἀξίως τῶν συνδεδεμένων ταῖς σαρκικαῖς ἐπιθυμίαις καὶ ἡδοναῖς προσερ. Ζήτει· προεγράφη εἰς τὴν Λειτουργίαν τοῦ ἁγίου Βασιλείου. Καὶ μετὰ τὸ ἀποθέσθαι τὰ ἅγια ἐν τῇ ἁγίᾳ τραπέζῃ ὁ ἱερεὺς νίπτει τὰς χεῖρας αὐτοῦ, λέγων, Νίψομαι ἐν ἀθώοις τὰς χεῖράς μου; καὶ κυκλώσω τὸ θυσιαστήριόν σου Κύριε, τοῦ ἀκοῦσαί με φωνὴν αἰνέσεώς σου. Καὶ ποιεῖ τρεῖς μετανοίας λέγων.

Πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπί σε, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοί. Καὶ εὐθέως ὁ ἱερεὺς ἐκφώνως· Ὁ κύριος μεθ' ὑμῶν. ὁ λαὸς· καὶ μετὰ τοῦ πνεύματός σου. ὁ ἱερεὺς· τὰς θύρας, τὰς θύρας. ὁ λαός· Πιστεύω εἰς ἕνα θεόν· ὁ ἱερεύς. Στῶμεν καλῶς. Στῶμεν μετὰ φόβου. ὁ λαός· ἔλεον, εἰρήνην. ὁ ἱερεὺς λέγει μεγάλῃ τῇ φωνῇ· Θυσίαν κύριέ σοι προορισθεῖσαν προσφορὰν ἁγίασον, καὶ δι' αὐτῆς ἡμᾶς ἀσμένως πρόσδεξαι διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ σου, μεθ' οὗ ζῇς καὶ βασιλεύεις ὁ θεὸς εἰς ἑνότητα πνεύματος ἁγίου, εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ὁ λαός· Ἀμήν. ὁ ἱερεύς· Ἄνω σχῶμεν τὰς καρδίας ἡμῶν. ὁ λαός· ἔχομεν πρὸς τὸν κύριον. ὁ ἱερεύς· Εὐχαριστίας ἀναπέμψωμεν κυρίῳ τῷ θεῷ ἡμῶν. ὁ λαός· Ἄξιον καὶ δίκαιον. Ὁ ἱερεὺς εὔχεται· Ὄντως ἄξιον καὶ δίκαιον, πρέπον ἐστὶ καὶ σωτηριῶδες, σοὶ ἀεὶ καὶ πανταχοῦ εὐχαριστίας ἀναπέμπειν, κύριε ἅγιε, πάτερ παντοκράτορ, παντοδύναμε καὶ αἰώνιε θεέ, διὰ τοῦ Κύριου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· δι' οὗ τὴν δόξαν σοῦ αἰνοῦσιν ἄγγελοι, προσκυνοῦσι κυριότητες, τρέμουσιν ἐξουσίαι, οὐρανοὶ οὐρανῶν τε δυνάμεις, τά τε μακάρια Σεραφὶμ κοινῇ ἀγαλλιάσει λατρεύουσι· μεθ' ὧν καὶ τὰς ἡμετέρας φωνὰς ἵνα προσδεχθῆναι κελεύσῃς, δεόμεθα, ἱκετευτικῇ ὁμολογίᾳ λέγοντες, ἐκφώνως, τὸν ἐπινίκιον ὕμνον ᾄδοντα, βοῶντα. Ὁ λαός· Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος. ὁ δὲ ἱερεὺς ἐπεύχεται. Σὲ τοίνυν ἐπιεικέστατε πάτερ διὰ τοῦ Κύριου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἱκετεύοντες παρακαλοῦμέν σε καὶ δεόμεθα, ἵνα προσδεκταῖα σχῇς καὶ εὐλογήσῃς ταῦτα τὰ δῶρα, ταύτην τὴν προσφορὰν,

ταύτην τὴν ἁγίαν θυσίαν, τὴν ἀμώμητον. Ἐν πρώτοις ἅπερ σοι προσφέρομεν ὑπὲρ τῆς ἁγίας σου καθολικῆς καὶ Ἀποστολικῆς ἐκκλησίας εἰρηνεῦσαι, διαφυλάξαι, ἑνῶσαι, κυβερνῆσαι καταξιώσῃς πάντα τὰ πέρατα τῆς γῆς ἅμα τῷ δούλῳ σου τῷ Πάπᾳ καὶ Πατριάρχῃ ἡμῶν ᾧδε, καὶ τῆς ἐμῆς ἐλεεινότητός τε καὶ ἀναξιότητος· μνήσθητι Κύριε τῶν δούλων σου καὶ τῶν δουλίδων σου, καὶ πάντων παρισταμένων, ὧν σοι ἡ πίστις δήλη ἐστὶ, καὶ φανερὰ ἡ πρόθεσις, οἵτινες προσφέρουσι ταύτην τὴν θυσίαν σῆς αἰνέσεως ὑπὲρ ἑαυτῶν καὶ τῶν ἰδίων γε πάντων, ὑπὲρ ἀναῤῥύσεως ψυχῶν καὶ σωμάτων· ὑπὲρ ἐλπίδος, σωτηρίας καὶ ῥώσεως αὐτῶν, σοι ἀποδιδοῦσι τὰς εὐχὰς αὐτῶν τῷ αἰωνίῳ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ θεῷ· κοινωνοῦντες καὶ τὴν μνήμην σεβόμενοι. Χαῖρε κεχαριτωμένη Μαρία, ὁ κύριος μετά σου (ἐκφώνως) ἐν πρώτοις τῆς ἁγίας ἐνδόξου καὶ ἀει παρθένου Μαρίας, γεννητρίας τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἀλλὰ μὴν καὶ τῶν μακαρίων σου ἀποστόλων καὶ μαρτύρων, Πέτρου, Παύλου, Ἀνδρέου, Ἰακώβου, Ἰωάννου, Θωμᾶ, Φιλίππου, Βαρθολομαίου, Ματθαίου, Σίμωνος, Θαδδαίου, Λείνου, Κλητοῦ, Κλήμεντος, Ξύστου, Κορνηλίου, Κυπριανοῦ, Λαυρεντίου, Χρυσογόνου, Ἰωάννου καὶ Παύλου, Κόσμα, καὶ Δαμιανοῦ, καὶ πάντων τῶν ἁγίων σου· ὧν τινων τῇ πρεσβείᾳ καὶ ταῖς ἱκεσίαις παράσχου, ἵνα ἐν πᾶσι τῇ σκέπῃ σου φρουρούμεθα, βοηθούμενοι διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ἐνταῦθα ἀναφέρει τοὺς κοιμηθέντας. Ταύτην τοίνυν τὴν προσφορὰν τῆς δουλείας ἡμῶν, ἀλλὰ καὶ παντὸς τοῦ λαοῦ σου, ἣν σοι προσφέρομεν, δεόμεθα κύριε ἀσμένως προσδέξαι. τὰς ἡμέρας ἡμῶν ἐν εἰρήνῃ διοίκησον, ἀπὸ τῆς μελλούσης αἰωνίου κατακρίσεως λύτρωσαι, καὶ εἰς τὴν τῶν ἐκλεκτῶν σου κέλευσον ἀγέλην συναριθμηθῆναι, διὰ τοῦ Κύριου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἵνα ἐν πᾶσι τῇ σκέπῃ σου, δεόμεθα, εὐλογημένην, ἀπερίγραπτον, ἐράσμιον, εὐαπολόγητον, προσδεκταίαν τε ποιῆσαι καταξιώσῃς, ἵνα ἡμῖν σῶμα καὶ αἷμα γένηται τοῦ ἀγαπητοῦ σου υἱοῦ, κυρίου δὲ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὃς πρὸ μιᾶς ἡμέρας τοῦ πάθους αὐτοῦ λαβὼν ἄρτον εἰς τὰς ἁγίας καὶ ἀχράντους χεῖρας αὐτοῦ, ἄρας τοὺς ὀφθαλμοὺς εἰς τὸν οὐρανὸν

πρός σε τὸν θεὸν καὶ πατέρα αὐτοῦ τὸν παντοδύναμον, σοὶ εὐχαριστῶν εὐλόγησεν, ἔκλασεν, ἔδωκε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, λέγων· (ἐκφώνως) Λάβετε, φάγετε. Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον. Καὶ ἐπάγει λέγων μυστικῶς· Ὁμοίως πάλιν μετὰ τὸ δειπνῆσαι, λαβὼν τὸ ποτήριον, καὶ εὐχαριστήσας εὐλόγησεν, ἔδωκε τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ μαθηταῖς, λέγων (ἐκφώνως) Πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες. τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου. ὁ λαός· Ἀμήν. ὁ ἱερεὺς ἐπεύχεται. Ταῦτα ὁσάκις ἂν ποιῆτε, ἐν τῇ ἐμῃ μνήμῃ ποιεῖτε. Ὅθεν μνημονεύοντες, κύριε, ἡμεῖς οἱ σοὶ δοῦλοι. Ἀλλὰ καὶ ὁ λαὸς ὁ ἅγιος τοῦ Χριστοῦ σου, τοῦ κυρίου δὲ ἡμῶν καὶ θεοῦ, τοῦ τε μακαρίου πάθους, ναὶ μὴν καὶ τῆς ἐκ τοῦ ᾅδου ἐγέρσεως, ἀλλὰ καὶ τῆς εἰς οὐρανοὺς ἐνδόξου ἀναβάσεως (ἐκφώνως) τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοὶ προσφέροντες κατὰ. ὁ λαὸς· σὲ ὑμνοῦμεν. Σὲ εὐλογοῦμεν. ὁ ἱερεὺς ἐπεύχεται· τὰ σὰ ἐκ τῶν τῶν προσφέρομεν τῇ τιμίᾳ μεγαλωσύνῃ σου, ἐκ τῶν σῶν δωρεῶν καὶ χαρισμάτων, θυσίαν καθαρὰν, θυσίαν ἁγίαν, θυσίαν ἄμωμον, ἄρτον ἅγιον ζωῆς αἰωνίου, καὶ ποτήριον σωτηρίας αἐννάου. ὑπὲρ ὧν ἵλεῳ καὶ εὐιλάτῳ προσώπῳ ἐπισκέψαι καταξιώσῃς, καὶ προσδεκτὰ σχεῖν, καθὰ κατηξίωσας τὰ δῶρα τοῦ παιδός σου τοῦ δικαίου Ἀβὲλ, καὶ τὴν θυσίαν τοῦ πατριάρχου ἡμῶν Ἀβραάμ· καὶ ὥσπέρ σοι προσήγαγεν ὁ πρῶτος ἱερεύς σου Μελχισέδεκ ἁγίαν θυσίαν, ἄμωμον προσφοράν, ἱκετεύοντές σε δεόμεθα παντοδύναμε θεὲ, κέλευσον τοῦτο διακονηθῆναι διὰ χειρὸς ἁγίου ἀγγέλου σε εἰς τὸ ὑψηλόν σου θυσιαστήριον, ἐνώπιον τῆς θείας μεγαλειότητός σου, ἵνα οἱ ἂν δήποτε ἐκ τούτου τοῦ θυσιαστηρίου μερίδα ἁγίαν τοῦ σώματος τοῦ υἱοῦ σου ἢ καὶ τοῦ αἵματος ληψώμεθα, πάσης ἐπουρανίου εὐλογίας καὶ χάριτος ἐμπλησθῶμεν διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ἐκφώνως. Ἐν πρώτοις μνήσθητι κυρίου τοῦ ἀρχιεπισκόπου. Ἐνταῦθα ἀναφέρει τοὺς ζῶντας. Ἡμῖν οὖν τοῖς ἁμαρτωλοῖς καὶ ἀναξίοις δούλοις σου, τοῖς εἰς τὸ πλῆθος τοῦ ἐλέους σου ἐλπίζουσι μέρος τὶ καὶ κοινότητα χαρίσασθαι καταξίωσον μετὰ τῶν ἁγίων σου Ἀποστόλων καὶ μαρτύρων μετὰ Ἰωάννου, Στεφάνου, Ματθαίου, Βαρνάβα, Ἰγνατίου, Ἀλεξάνδρου, Μαρκελλίνου, Πέτρου, Φηλικιτάτης,

Περπετούας, Ἀγάθης, Λουκίας, Ἀγνῆς, Κηκιλίας, Ἀναστασίας, Βαρβάσας, Ἰουλιανῆς, τῶν πανενδόξων τεσσαράκοντα μαρτύρων καὶ πάντων σου τῶν ἁγίων, μεθ' ὧν ἡμᾶς σύνταξον, μὴ ἐπισκέπτων τὰς πράξεις, ἀλλὰ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν δεόμεθα ἄνεσιν παράσχου διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν, δι' οὗ ταῦτα πάντα, κύριε, ἀεὶ τὰ ἀγαθὰ χορηγεῖς, ἁγιοποιεῖς, ζωοποιεῖς, εὐλογεῖς, καὶ παρέχεις ἡμῖν. Καὶ κρατῶν τὸν ἄρτον ὁ ἱερεὺς κατασφραγίζει τὸ ποτήριον λέγων· Δι' αὐτοῦ, καὶ μετ' αὐτοῦ, καὶ ἐν αὐτῷ ἐστι σοὶ τῷ θεῷ καὶ πατρὶ τῷ παντοδυνάμῳ εἰς ἑνότητα πνεύματος ἁγίου, πᾶσα τιμὴ καὶ δόξα (ἐκφώνως) εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ὁ λαός· Ἀμήν. ὁ ἱερεὺς ἐκφώνως· εὐξώμεθα. ὁ λαὸς τὸ κυρίε ἐλέησον, γ'. ὁ ἱερεὺς ἐκφώνως· ἐκ τῆς θείας διδασκαλίας διδαχθεντες, καὶ ἐκ τῶν σωτηριωδῶν ὑπομνημάτων παιδευθέντες τολμῶμεν λέγειν. ὁ λαός. Τὸ Πάτερ ἡμῶν. ὁ ἱερεὺς ἐκφώνως· Ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα. Εἰρήνη πᾶσι. Τὰς κεφαλάς. ὁ ἱερεὺς ἐπεύχεται. Ῥῦσαι ὑμᾶς· δεόμεθα κύριε, ἀπὸ παντὸς κακοῦ ἐνεστῶτος καὶ μέλλοντος, πρεσβείας τῆς ἀχράντου καὶ δεδοξασμένης δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, τῶν μακαρίων σου ἐνδόξων Ἀποστόλων Πέτρου καὶ Παύλου, καὶ πάντων σοῦ τῶν ἁγίων. Παράσχου εἰρήνην ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν, ἵνα τῇ σκέπῃ τοῦ ἐλέους σου βοηθούμενοι, ἐκ τῶν ἡμετέρων ῥυσθῶμεν ἁμαρτιῶν, καὶ ἐκ πάντων θορύβων εὑρεθῶμεν ἀμέριμνοι, διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, μεθ' οὗ ζῇς καὶ βασιλεύεις ὁ θεὸς ἡμῶν εἰς ἑνότητα πνεύματος ἁγίου, (ἐκφώνως) εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. (ὁ λαός.) Ἀμήν. ὁ ἱερεὺς ποιεῖ εὐχήν. Πρόσχες κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ ὁ θεὸς ἡμῶν, ἐξ ἁγίου κατοικητηρίου σου. Ζήτει. Προεγράφη εἰς τὴν Λειτουργίαν τοῦ ἁγίου Βασιλείου. ὁ διάκονος. Προσχῶμεν· ὁ ἱερεύς ὑψοῖ τὸν ἄρτον, λέγων. Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις· (ὁ λαός) εἷς πατὴρ ἅγιος, εἷς υἱὸς ἅγιος, ἓν πνεῦμα ἅγιον, εἰς ἑνότητα πνεύματος ἁγίου. Ἀμήν. Εἶτα λέγει κοινωνικόν. ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ἐλέησον ἡμᾶς, Καὶ μετὰ τὸ πάντας μεταλαβεῖν, ὁ ἱερεὺς θυμιῶν λέγει. ὑψώθητι ἐπὶ τοὺς οὐρανοὺς ὁ θεός. Ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν ἡ δόξα

σου. Καὶ μετὰ τὸ θυμιάσαι (ἐκφώνως) Εὐλογητὸς ὁ θεὸς ἡμῶν πάντοτε, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας. (ὁ λαός.) Πληρωθείτω τὸ στόμα ἡμῶν. ὁ διάκονος. Ὀρθοὶ οἱ μεταλαβόντες τῶν θείων, ἀχράντων, ἐπουρανίων, ζωοποιῶν, φρικτῶν μυστηρίων. Ἀξίως ἐπὶ πᾶσιν εὐχαριστήσωμεν τῷ κυρίῳ· ἀντιλαβοῦ, σῶσον. Καὶ τὰ λοιπά, ἃ ἱερεὺς εὔχεται. Αὐτοὶ ἡμᾶς δεόμεθα, ἡ κοινωνία, κύριε, καθαρίσει ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος καὶ οὐρανίων ἀγαθῶν ποιήσει εἶναι μετόχους· διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, μεθ' οὗ ζῇς καὶ βασιλεύεις ὁ θεὸς εἰς ἑνότητα πνεύματος ἁγίου, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. (ἐκφώνως.) Ὅτι σὺ ὁ ἁγιασμὸς ἡμῶν, καὶ σοὶ τὴν δόξαν. (ὁ λαὸς) Ἀμήν. (ὁ διάκονος) ἐν εἰρήνῃ προσέλθωμεν. (ὁ ἱερεὺς λέγει εὐχὴν ὄπισθεν.) Εὐλογητὸς ὁ θεὸς, δι' οὗ τὸ ἄχραντον αὐτοῦ σῶμα, καὶ τὸ τίμιον αὐτοῦ αἷμα μεταλαβεῖν κατηξιώθημεν, αὐτὸς εὐλόγησον καὶ διαφύλαξον πάντας ἡμᾶς, καὶ ἀξίους ποίησον τῆς ἐπουρανίου σου βασιλείας, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. Εἶτα τὸ πλήρωμα τοῦ νόμου καὶ τῶν.

XXIX. LITURGIA S. JOHANNIS EVANGELISTÆ.

E Syriaco versa a V. C. Eusebio Renaudot.

Oratio ante osculum pacis.

Sacerdos. Domine Deus fortis, qui es caritas vera, tranquillitas imperturbabilis, et spes quæ non confundit; tu, Domine Deus pater, concede servis tuis istis, qui coram majestate tua stant, caritatem, benignitatem, tranquillitatem et pacem perpetuam, et

præsta nobis omnibus, ut cum puritate cordis et sanctitate animæ, demus pacem nobis invicem in osculo sancto, et spirituali, quod placeat nomini tuo sancto: et referemus tibi gloriam, &c.

POPULUS. Amen.

DIACONUS DICIT MEDIAM.

SACERDOS ELEVANS VOCEM. Et nunc coram majestate tua, Domine, inclinamus colla animarum nostrarum, et corporum nostrorum; jube et mitte nobis de excelsis gloriosis sanctuarii tui, gratiam præclaram, benedictionemque imperturbabilem et inamissibilem, ut te glorificemus et exaltemus, unigenitumque Filium tuum sanctissimum et bonum.

POPULUS. Amen.

SACERDOS. Qui Filium tuum, in fine temporum, misisti ad salutem nostram: ipse autem mysteria hæc sancta et vivifica tradidit nobis. Ne, Domine, facias nos alienos ab hoc ministerio, nec avertas faciem tuam a nobis, propter multitudinem peccatorum nostrorum. Tu enim solus, sanctus es cum unigenito Filio tuo, et Spiritu tuo sanctissimo et bono.

POPULUS. Amen.

DIACONUS. Date Pacem.

POPULUS. Misericordiæ Dei.

SACERDOS. Caritas Patris, &c.

POPULUS. Amen.

SACERDOS. Sursum corda.

POPULUS. Habemus ad Dominum.

SACERDOS. Gratias agamus Domino Deo nostro.

POPULUS. Dignum et justum est.

SACERDOS INCLINATUS. Digne te decet laus, Domine cœlestium et terrestrium.

ELEVANS VOCEM. Te enim glorificant et laudant virtutes supernæ, et cœlum in quo consistunt: ignei te cum timore celebrant, Cherubim cum commotione

te benedicunt: Seraphimque sancti majestatem tuam sanctificant, qui veloci motu alarum et pennarum suarum, volantes alter ad alterum, clamant, vociferantur, et dicunt.

POPULUS. Sanctus.

SACERDOS INCLINATUS. Sanctus es, Domine, Deus potens, cum unigenito Filio tuo, et Spiritu tuo sancto, una natura indivisa: qui est sanctus et sanctificans omnia virtute divinitatis suæ. Pater qui misit Filium suum ad salutem nostram: et Filius qui descendit et incarnatus est, passus et crucifixus propter imaginem suam quæ corrupta fuerat; Spiritusque vivus et sanctificans sacrificia divina.

ELEVANS VOCEM. Quum autem ad passionem salutarem voluntate sua venisset, propter salutem nostram, panem super manus suas sanctas, in oculis turmæ discipulorum suorum accepit: aspexit in cœlum, gratias egit, + benedixit, + sanctificavit, + fregit deditque Apostolis suis sanctis et dixit: Accipite manducate ex eo. Hoc est corpus meum, quod pro vobis, et pro omnibus in me credentibus frangitur et dividitur, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum et vitam futuram in sæcula.

POPULUS. Amen.

SACERDOS. Et post cœnam suam illam mysticam, etiam ex vino et aqua accepit calicem, gratiasque egit super illum, + benedixit, + sanctificavit, + et dedit turmæ Apostolorum suorum et dixit illis: Hic est calix sanguinis mei, Novi Testamenti, accipite, bibite ex eo omnes: iste effunditur pro vita mundi, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, omnibus in me credentibus in sæcula sæculorum.

POPULUS. Amen.

SACERDOS. Ita facietis in meam commemorationem: quotiescumque enim manducabitis sacramentum

hoc, et hunc sanguinem bibetis, mortem meam annunciabitis donec veniam.

POPULUS. Mortis tuæ, Domine, memoriam agimus, &c.

SACERDOS. Commemorationem dispensationis tuæ salutaris facientes, Christe Deus noster, imploramus et deprecamur bonitatem tuam, ut quum venies in gloria cum Angelis tuis sanctis, et constitues thronum gloriæ tuæ, præcipiesque terræ, ut pariat omnes defunctos ad standum coram te in timore et tremore: quum collocabis agnos ad dexteram tuam et hœdos ad sinistram tuam, et unusquisque exspectabit competentem sibi retributionem, et habitacula sibi destinata: ne Domine audiamus a te vocem illam acerbam, et mortiferam: ne dicas nobis, Domine, Recedite a me maledicti, abite in ignem, quia ego non novi vos. Ne, Domine, simus alieni a familiaritate tua: ne avertas, Domine, faciem tuam a nobis: ne aspicias, Domine, nos indignanter in ira: ne, Domine, ascendant peccata et crimina nostra in cor tuum sanctum: ne, Domine, intres in judicium nobiscum: neque agas erga nos, tanquam erga eos quorum spes præcisa est: neque ultionem facias de nobis, quasi inimicis. Non tanquam alienos repellas nos: ne projicias nos, Domine, a facie tua, qui nomen tuum sanctum cognovimus, et divinitatem tuam confessi sumus. Sed fac nobiscum secundum promissiones tuas veras, et non fallaces: dimitte delicta nostra, propitius esto peccatis nostris: et fac misericordiam super hæreditatem tuam, et super oves pascuæ tuæ, quemadmodum pœnitens Ecclesia tua supplicat tibi, et tecum Patri tuo, dicens.

POPULUS. Miserere nostri.

SACERDOS. Nos quoque.

POPULUS. Te laudamus.

SACERDOS. Præcipue.

DIACONUS. Quam timenda est hæc hora, &c.

SACERDOS INCLINATUS. Domine clemens, et multæ misericordiæ, miserere mei, et mitte super me et super oblationes istas, Spiritum vivum et sanctum, vivificantem, et omnia sanctificantem, largitoremque sanctitatis: ipsum qui in Prophetiis sanctis loquutus est, et Apostolos sanctos, martyresque coronavit: ipseque illabatur super hæc mysteria et sanctificet illa.

POPULUS. Exaudi me, Domine.

SACERDOS ELEVANS VOCEM. Ut illabens, efficiat panem quidem istum, corpus Christi Dei nostri.

POPULUS. Amen.

SACERDOS. Et calicem istum, sanguinem Christi Dei nostri.

POPULUS. Amen.

SACERDOS. Ut sanctificent corpora et animas eorum, qui illis communicabunt, ad mundationem cordium eorum, purificationem cogitationum eorum, et ad sanctificationem animarum eorum, quæ est in regno cœlorum et vita æterna.

DIACONUS. Oremus.

SACERDOS INCLINATUS. Commemoramus coram te, Domine Deus, hoc tempore hujus sacrificii, omnes Ecclesias tuas sanctas: et Pastores Orthodoxos qui in illis vivunt: præcipue vero DD. N. et N. cum reliquis Episcopis Orthodoxis. Iterum etiam commemoramus Sacerdotes et Diaconos veros, reliquosque domesticos tuos, qui observant mandata tua. Iterum etiam obsecramus te, Domine, pro tranquillitate et confirmatione totius mundi: pro benedictione anni, et fructuum ubertate. Iterum obsecramus te, pro infirmis, afflictis, et illis, qui a malis spiritibus infestantur: ut visites eos, visitatione tua. Iterum obse-

cramus te Domine pro omnibus qui invocant nomen tuum, et confitentur te esse verum Deum.

ELEVANS VOCEM. Salva et libera, Domine Deus vere, gregem tuum ab omnibus plagis noxiis, acerbis et mortiferis, ut etiam ab omnibus contumeliis gentium barbararum quæ nomen tuum sanctum non noverunt, et divinitatem tuam non agnoscunt. Rege illum dextera tua valida et omnipotente, ut confiteatur tibi, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo.

POPULUS. Amen.

SACERDOS INCLINATUS. Memento etiam, Domine, eorum qui obtulerunt hodie oblationem, super hoc altare: et eorum qui voluerunt offerre, sed facultatem non habuerunt: atque unicuique illorum secundum mentem suam da, Domine.

ELEVANS VOCEM. Memento, Domine, ad altare spirituale, cœloque sublimius, omnium qui te cognoverunt: et suscipe per gratiam tuam, oblationes, decimasque eorum, et fac illos dignos gloria nominis tui sancti, et unigeniti Filii tui, &c.

POPULUS. Amen.

SACERDOS INCLINATUS. Memento, Domine, Regum fidelium: apprehende arma et scutum, et exurge in adjutorium eorum: da etiam illis victoriam de hostibus suis, per fortitudinem tuam magnam.

ELEVANS VOCEM. Tu es enim dator fortitudinis et largitor victoriæ, omnibus qui credunt in te, et vere diligunt te.

POPULUS. Amen.

SACERDOS INCLINATUS. Iterum commemoramus coram te, Domine, omnes sanctos et patres, cum Prophetis, Apostolis, Martyribus, et Confessoribus: atque Dei Genitrice et omnibus sanctis.

ELEVANS VOCEM. Et illorum sanctorum amicorum tuorum memoriam agentes, obsecramus et depre-

camur te, Domine, ut per illorum orationes puras et sanctas, digni efficiamur locum inter eos habendi, et sortem quæ illis obtigit: per gratiam tuam, et per misericordiam, amoremque erga homines unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria, &c.

POPULUS. Amen.

SACERDOS INCLINATUS. Memento etiam, Domine, Præsulum, Doctorum, et Pastorum Ecclesiæ tuæ sanctæ Orthodoxæ.

ELEVANS VOCEM. Eorum qui per doctrinam veram et Dominicam, constituerunt Ecclesias tuas sanctas, et ab illis deturbaverunt omnes hæreses perniciosas, et per dogmata sua, veritatem fidei veræ publicaverunt. Obsecramus te, Domine, ut per intercessiones sanctas illorum, confirmemur in doctrina vivificante illorum: ut nos et ipsi referamus tibi, &c.

SACERDOS INCLINATUS. Memento, Domine, per Gratiam tuam, eorum qui a nobis separati sunt, et ad te migraverunt: qui acceperunt corpus et sanguinem tuum preciosum, et obsignati fuerunt signaculo tuo, a tempore primæ institutionis Christianæ, ad hunc usque diem.

ELEVANS VOCEM. Tu es enim creator animarum et corporum, et te exspectant qui decubuerunt, et spem tuam vivificantem respiciunt. Suscita illos, Domine, in die illo novissimo: tranquillusque sit erga illos vultus tuus: et dimitte per misericordiam tuam delicta et defectus eorum: quia eorum qui super terram fuerunt nullus reperitur mundus a sordibus peccati, nisi Dominus Deus et Salvator noster Jesus Christus unigenitus Filius tuus; per quem nos etiam misericordiam consequi speramus, et remissionem peccatorum quæ propter eum est, et nobis et ipsis.

POPULUS. Quietem præsta.

SACERDOS. Parce, et dele, Domine Deus, peccata

et maculas nostras, et illorum, quæcumque male et inique a nobis et ab illis commissa sunt: concede nobis puritatem et sanctitatem, statumque vitæ inculpatum, et fiduciam perfectam coram te, absque lapsu in peccatum: ut semper glorificetur, laudetur, et honoretur nomen tuum præclarum et benedictum: simulque Domini nostri Jesu Christi et Spiritus tui sancti.

POPULUS. Sicut. SACERDOS. Pax.

POPULUS. Et cum spiritu tuo.

SACERDOS. Misericordiæ.

SACERDOS *frangit hostiam et signat.*

DIACONUS. Iterum atque iterum.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Tu qui orationes suscipis, et respondes petitionibus, Deus Pater: qui per Filium tuum dilectum docuisti nos, ut coram te staremus, et cum puritate et sanctitate te oraremus. Tu, Domine Deus, concede nobis, ut cum puritate animæ, mentis abstersione, et castimonia, clamemus ad te, oremus et dicamus: Pater noster qui es in cœlis.

POPULUS. Sanctificetur.

SACERDOS. Salva, Domine Deus, animas servorum tuorum a tentationibus asperis, et ab omni machinatione Dæmonum, hominumque improborum, et implacabilium, quia tu potens omnium es: et tibi gloriam referimus, &c. POPULUS. Amen.

SACERDOS. Pax.

SACERDOS. Et cum spiritu tuo.

DIACONUS. Inclinate capita vestra.

SACERDOS. Et illis qui coram te inclinati sunt, Domine, benedic per gratiam tuam, et miserationes tuas multas: et fac illos dignos mysteriis tuis vivificantibus, et participatione societatis cum congregatione sanctorum tuorum, ut referant tibi laudem, &c.

SACERDOS. Pax vobis omnibus.

POPULUS. Et cum spiritu tuo.

SACERDOS. Sit.

DIACONUS. Stemus decenter.

SACERDOS ELEVANS MYSTERIA, DICIT: Sancta sanctis.

POPULUS. Unus Pater sanctus, &c.

Sacerdos dicit Orationem post communionem.

Quid retribuemus bonitati tuæ, Deus noster benigne, pro salute ista quam dedisti nobis? Gloriam debitam offerre quis possit etiam imperfecte? Quantum igitur possibile est, adoramns, glorificamus, et laudamus te, unigenitumque Filium tuum, et Spiritum tuum vivum et sanctum.

POPULUS. Amen. SACERDOS. Pax.

POPULUS. Et cum spiritu tuo.

SACERDOS. Te Christe Deus noster, adoramus, laudamus et glorificamus, deprecantes bonitatem et misericordicam tuam, pro liberatione et salute totius mundi: pro custodia viventium, et quiete defunctorum fidelium: pro saturitate esurientium, et alimento necessitatem patientium: pro visitatione infirmorum, et consolatione omnium afflictorum. Tu igitur per gratiam tuam visita, et vivifica per miserationes tuas multas, et benedic populum tuum: custodique hæreditatem tuam, per crucem tuam victricem: quia tibi debetur adoratio, et Patri tuo, et Spiritui vivo, nunc et semper.

XXX. LITURGIA S. MATTHÆI APOSTOLI,

QUA ÆTHIOPES UTUNTUR.

In nomine Patris, ✝ *et Filii,* ✝ *et Spiritus sancti.* ✝ *Amen.*

Chorus incipit: Alleluja.

Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam.

Adorabo ad templum sanctum tuum, in timore tuo.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo, quoniam exaudîsti verba oris mei.

In conspectu Angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum.

Sacerdotes tui induantur justitiam, et sancti tui exultatione exultent.

Asperges me Domine hyssopo, et mundabor; et lavabis me, et super nivem dealbabor.

Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.

Et ab alienis parce servo tuo.

Panem cœli dedit eis.

Panem Angelorum manducavit homo.

Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine.

Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis.

Parâsti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.

Impinguâsti oleo caput meum, et calix meus inebrians quam præclarus est?

Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.

Benedictus, qui venit in nomine Domini; benediximus vobis de domo Domini.

Salve mater nostra Ecclesia sancta, munita pariete, ornata topazio. Mater nostra Ecclesia, salve.

Tu es vas illud puri auri, in quo erat Manna absconditum; et tu es Tabernaculum panis, descendens de cœlo, præbens omnibus vitam in sæculum.

In nomine patris, ✝ et filii, et Spiritus sancti, ✝ Amen.

Ante omnia, Sacerdos dicit orationes sequentes, pro Ecclesia, et altari et indumentis eorum.

Domine Deus noster, tu es solus Sanctus, qui omnibus tua occulta virtute sanctificationem dedisti. Sic te Domine supplices exoramus, ut hanc Ecclesiam, et super hoc altare, et super omnia ad sacra mysteria præparata, Spiritum sanctum mittere digneris; et iterum benedic, ✝ sanctifica, et ab omni macula et pollutione, munda ea; et nihil incredulitatis et immundi in eis remaneat. Fac huic Ecclesiæ et altari, res mundas et electas, sicut argentum igne examinatum, probatum, et purgatum septuplum. Perfice ut super ea sit mysterium Patris, Filii, et Spiritus sancti nunc, et semper, et in sæcula sæculorum, Amen.

Finita oratione vestitur altare, et præparantur omnia ad Sacrificium, et sequitur.

Domine, Domine Deus, scrutator cordis omnium, qui manifestas abscondita; et omnia, et singula cognoscis: tu es Sanctus, quiescens super sanctos. Tu solus sine peccato: potens delere peccata. Tu scis Domine, quod huic mysterio Sancto quod ex te procedit, immundus sum: non est mihi facies appropinquandi; neque os, laudem tuam sanctam aperiendi,

et gratias agendi. Sed solum propter multitudinem miserationum tuarum parce mihi Domine, quia peccator sum: præsta, et concede mihi Domine (si in hanc horam misericordiam inveniam) et mitte de sursum Domine fortitudinem tuam, ut tua sancta Mysteria dignus efficiar consummare, propter voluntatem et lætitiam cordis tui. Fiat incensum et oblatio ista, bonus odor in conspectu tuo, et tu, Domine noster et Salvator noster Jesu Christe, sis nobiscum; et benedic nos. Tu es ille qui deles peccata nostra, et illuminator animæ nostræ, vita, potentia nostra, et introitus noster; tibi agimus gratias usque ad sedem tuam, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum, Amen.

Oratio super Patenam.

Domine Deus noster Jesu Christe, qui super lignum sanctæ Crucis manus tuas extendisti, sic super istam patenam extende, qua tuum sacrum corpus ministratur: benedic ✝ nunc; sanctifica et munda eam, ut corpus tuum sanctum in ea perficiatur, in hac Ecclesia sancta et Apostolica: quoniam tibi gloria, et Patri tuo cœlesti, cum Spiritu S. vitali; nunc et semper, et in sæcula sæculorum, Amen.

Oratio super Calicem.

Domine Deus noster Jesu Christe ἀληθῶς, qui vere Deus, et homo factus es, et nunquam a tua Divinitate separatus fuisti, et sanguinem tuum pretiosum propter fragilem creaturam tuam voluntarie effudisti: fac nunc, ut manus tuæ sint super hunc Calicem. ✝ Benedic ✝ sanctifica, ✝ et purifica eum, ut in eo sanguis tuus sanctus consecretur, in hac Ecclesia tua Apostolica: tibi gloria, cum optimo Patre tuo, et Spiritu S. nunc, et semper, et in sæcula sæculorum, Amen.

Benedictio puritas ✝ et dulcedo omnibus sanguinem

tuum pretiosum sumentibus; ἀληθῶς, vere: Amen.

Oratio super Cochlear per quod Lancea Crucis significatur.

Domine Deus noster; qui Esaiæ Prophetæ famulo tuo ut cerneret Seraphim, carbonem ignitum, de sacrificio, forcipe suscipientem, et labia ejus mundantem, concedere dignatus es: sic Pater omnipotens Dominus noster, et Deus noster, continens omnia; concede ut manus tuæ sint super hanc lanceam, ut Corpus et Sanguinem pretiosum Filii tui unici Domini nostri et Salvatoris nostri Jesu Christi, digne ministrare possit. Benedic nunc ✝ sanctifica, ✝ et purifica ✝ eam; da ei virtutem et gloriam, sicut forcipi illi: tibi gloria cum Filio tuo unico, cum Spiritu sancto; nunc, et semper et in sæcula sæculorum, Amen.

Virtus ✝ benedicto, ✝ sanctificatio sanctæ Trinitatis, in hanc Ecclesiam sancti N. de Sceva ✝: tibi gloria cum Filio tuo et Spiritu S. nunc, et semper, et in sæcula sæculorum, Amen.

† Saba.

Oratio super Arculam in qua ponitur Hostia pro Sacrificio.

Domine Deus noster, qui in monte Sinai, Moysi servo et Prophetæ tuo præcepisti ut electa congregaret quorum usus erat in ministerio Altaris, Arcæ, et Sanctuarii in Tabernaculo tuo: nunc Domine Deus noster omnipotens, præsta ut manus tuæ sint super hanc Arculam; et imple eam virtute, fortitudine et puritate et gratia Spiritus S. ad gloriam tuam, ut in ea perficiatur Corpus unici Domini nostri Dei nostri et Salvatoris Jesu Christi, in hac sancta Ecclesia Apostolica: tibi gloria et Filio tuo unico, et Spiritui S. nunc, et semper, et in sæcula sæculorum: Amen.

✝ Sanctificationem acceptabilem, remissionem peccatorum concedat nobis Deus Pater, cui laus, et honor, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum, Amen.

Quando Sacerdos offert hostiam, super altare, dicit Orationem sequentem.

Domine Deus noster, qui suscepisti sacrificium Abel in deserto, et Noe in ara, et Abrahæ in summitate montis, et Heliæ in monte Carmeli, et David in area Orna Jabisei, et oblationem pauperculæ viduæ in templo sancto; sic oblationem meam et omnium famulorum famularumque tuarum offerentium in nomine sancto tuo, suscipe; ut pro meis et eorum peccatis sit redemptio: et sicut nos offerimus, ita mercedem nobis retribue in præsenti sæculo, et in futuro, et in sæcula sæculorum, Amen.

Oratio, quando ponitur vinum et aqua in calice, a diacono.

Vere Christe, Deus noster, et Domine noster qui ad nuptias in Cana Galileæ vocatus fuisti, et eas benedixisti, et de aqua vinum fecisti; similiter fac, et ✝ benedic, ✝ sanctifica, et ✝ purifica hoc vinum in conspectu tuo; et fiat exultatio et vita, animæ et corpori nostro, et in omni tempore nobiscum permaneant Pater, Filius et Spiritus sanctus: quia non habemus alios Deos præter te Domine. Imple igitur nos vino exultationis, salutis, et lætitiæ, vitæ, intellectus, et consilii Spiritus sancti, in sæcula sæculorum, Amen. ✝ Benedictus Dominus Deus Pater omnipotens. ✝ Benedictus filius unigenitus Jesus Christus, qui natus est de Maria virgine: ✝ Benedictus Spiritus paracletus Deus noster, quibus Patri, et Filio, et Spiritui sancto, vera fortitudo in sæcula sæculorum, Amen.

Postea replicet super Calicem, Orationem.

Domine Deus noster qui suscepisti, &c. *ut supra, in offerendo Hostiam. Dicit Sacerdos cantando, et extendendo palmas sursum; ita tamen quod caput non*

excedant: Unus Pater Sanctus, unus Filius Sanctus, et unus Spiritus sanctus.

POPULUS RESPONDET: Amen.

SACERDOS CANTANDO DICIT: Laudate Dominum, omnes gentes, laudate eum omnes populi, quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in æternum. Gloria Patri, &c.

DICIT DIACONUS: Surgite ad orationem.

POPULUS: Domine, miserere nostri.

SACERDOS: Pax vobis.

POPULUS: Et cum spiritu tuo.

Sacerdos, in gratiarum actionem, dicit Orationem sequentem.

Gratias agamus Benefactori nostro Domino misericordi, Patri Domini Dei et Redemptoris nostri Jesu Christi, quia protexit nos, auxiliatus est nobis, custodivit, et commendatos nos sibi reddidit, attraxit, amplexus est, confirmavit, et pervenire nos fecit ad hanc horam: rogemusque ipsum, ut etiam custodiat nos in hac die sancta, in omni tempore vitæ nostræ, et in omni pace, omnipotens Deus noster.

DIACONUS DICIT: Orate.

SACERDOS AUTEM SEQUITUR: Domine, O Domine Pater bone, et omnipotens: Pater Domini Dei et Redemptoris nostri Jesu Christi: laudamus te, super omne opus, pro omni opere, et in omni opere: quia protexisti nos, auxiliatus es nobis, custodisti nos, et commendatos tibi nos reddidisti: attraxisti et amplexus es, confirmasti et pervenire fecisti usque ad hanc horam: petimus quoque et quæsumus a bonitate tua: O amator generis humani.

DIACONUS DICIT: Petite et rogate ut parcat nobis Dominus et misereatur nostri, et suscipiat orationem quæ pro nobis fit a sanctis suis: et faciat nos dignos, ut quam præstat accipiamus: et sumamus de partici-

patione et Sacramento suo benedicto, ut dimittantur nobis peccata nostra.

Sacerdos subsequitur: Ut perducamus hunc diem Sanctum in omni tempore vitæ nostræ, in omni pace, cum timore tuo. Omnem invidiam, et omnem tentationem, et omne opus satanæ: consilium hominum malorum, insultationes inimici absconditas et manifestas, elonga et expelle a me et ab universo populo tuo, et ab hoc loco sancto tuo. Omnia bona, quicquid utique præstat et juvat, impetra eis per nos, quia tu es qui dedisti nobis potestatem ut calcaremus serpentem et scorpionem, et omnem vim inimici: ne inducas nos Domine in tentationem, sed redime et libera nos ab omni malo: per gratiam et misericordiam et amorem erga humanum genus, Filii tui unici Domini Dei et Redemptoris nostri Jesu Christi, cum quo, tibi una cum sancto Spiritu, et gloria, et potestas, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum, Amen.

Pro offerentibus munera. Sacerdos.

Iterum rogemus omnipotentem Deum Patrem Domini, Dei et Redemptoris nostri Jesu Christi: pro iis qui obtulerunt munera sanctæ, unicæ, quæ est super omnes, Ecclesiæ, sacrificium scilicet primarum decimarum gratiarum actionis signum et monimentum: seu autem quis multum obtulerit, seu parum, seu secreto, seu palam, seu volens et non habens, omnium amplectatur voluntatem qui cœlestem Spiritum donat, et in quo omnium bonorum operum est potestas, Dominus Deus noster.

Diaconus dicit: Orate pro iis qui tulerunt munera.

Sacerdos: Domine Deus omnipotens, rogamus te et quæsumus pro iis qui obtulerunt dona sanctæ, unicæ, quæ super omnes est, Ecclesiæ; seu multum obtulerint seu parum sive secreto sive palam sive volen-

tes et non habentes; omnium voluntatem acceptans, da unicuique eorum, pro præmio, benedictionem; per unicum Filium tuum, cum quo tibi et sancto Spiritui est gloria et potestas; nunc et semper, et in sæcula sæculorum, Amen.

Oratio oblationis sacræ. O Princeps noster Jesu Christe, cujus substantia creata non est, sed es purum Verbum; tu es Filius Patris et Spiritus sancti. Tu es panis vitæ descendens de cœlo; qui antequam venires, eras in figura agni immaculati pro redemptione mundi: nunc bonitatem tuam super hunc panem et calicem, in hoc altare portatile ostendas. † Benedic, † sanctifica, † munda, et transfer panem hunc in carnem tuam immaculatam; et vinum hoc, in sanguinem tuum preciosum: Fiat sacrificium ardens et acceptabile, medela et salus animæ et corpori nostro; quia tu es Rex noster et Christus Deus noster, omni laude, reverentia, et gloria tibi gratias agimus; cum Patre tuo cœlesti, Spiritu S. vitali, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum, Amen.

Diaconus: Flectite genua.

Populus: Ante te Domine flectimus, et te laudamus.

Coadjutor Sacerdotis dicit, quod sequitur.

Domine, Domine, Fili unice Jesu Christe, Verbum Dei Patris; qui nobis per tuam salutiferam et vitalem passionem peccatorum nostrorum vincula omnia dirupisti; qui in discipulorum sanctorum, immaculatorum ministrorum tuorum faciem insufflasti, dicendo: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.* Præsta Domine, sicut eis hoc officium Sacerdotale, Ecclesia sancta tua, cum potestate ligandi et absolvendi in omni tempore peccata et vincula iniquitatum nostrarum, tribuisti: ita bonitatem et clementiam tuam imploramus, O amator hominum; ut absolvant nos

servos tuos, et parentes, fratres, sorores, et amicos nostros, et me peccatorem, et omnes capita sua inclinantes ante conspectum tuum in hoc sacrificio sancto tuo: dirige nos Domine in viam misericordiæ tuæ; disrumpe et frange omnia vincula peccatorum nostrorum.

O Domine, si scienter, aut ignoranter, aut malitia cordis, levitate spiritus, aut inclinatione et macula carnis; factis, verbis, et temporibus peccavimus tibi: parce Domine, quia scis fragilitatem nostram. O optime Domine et universe amator hominum; concede nobis remissionem peccatorum nostrorum. † Benedic, et † sanctifica † mundifica et odorifica, et fac nos liberos et absolutos, Absolve Pontifices, Principes, et Reges nostros; Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sacerdotes, Diaconos, et ministros nostros, et populum tuum, parentes, et fratres nostros. Memento, Domine, dormientium principum, pontificum, regum, patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, sacerdotum, diaconorum, et ministrorum tuorum, parentum nostrorum, et omnium in recta fide quiescentium; et imple nos timore nominis tui, et dirige nos facere voluntatem tuam. Sit tibi gloria, et honor, quia tu solus eis dignus es, in sæcula sæculorum, Amen.

Servi tui hodie ministrantes, Sacerdos, Diaconus, et omnes ministri; populus, et ego pauper servus tuus et peccator, absolvamur per os Trinitatis sanctæ, Patris Filii et Spir. S. et B. Mariæ cœli secundi, matris Dei: per os Michaelis, Gabrielis, et omnium archangelorum, et nonaginta novem ordinum angelorum, et mille millium ministrantium, et quorum nomina numerare nescimus; et quatuor animalium, et viginti quatuor Seniorum, et primorum sanctorum Patrum; et quindecim Prophetarum, et duodecim eorum filio-

rum; et per os duodecim Apostolorum, et S. Jacobi Episcopi Hierosolymitani, et S. Pauli, Timothei, Syllæ, Barnabæ, Titi, Philemonis, Clementis, et omnium Septuaginta duorum discipulorum, et quingentorum suorum sociorum: et per os sancti Marci Divinitatem clamantis, et aliorum Evangelistarum; et per os trecentorum et decem et octo Episcoporum, qui pro recta fide in synodo Nicena congregati fuerunt, et centum quinquaginta in Constantinopolitana, et ducentorum in Synodo Ephesina; et per os Pontificis nostri Saviros, Joannis Chrysostomi oris aurei, Cyrilli, Basilii, Theophili, Athanasii, Gregorii, et Pontificum nostrorum, Matthæi, Gabrielis, Joannis, Salamæ, Bartholomæi, Isaac, Marci; et per os Ecclesiæ unicæ quæ congregata fuit per Apostolos sanctos; et per me peccatorem absolvamini, et impleamini gratia ad gloriam et honorem Patris, Filii, et Spiritus sancti, Amen.

Hic, Sacerdos declarat Epacta, Aureum numerum, mobilia et immobilia Festa, indulgentias, et omnes ritus et ceremonias a principio usque ad finem, et in vivorum et defunctorum memoriam effundit incensum, et prosequitur hanc orationem ponendo ter incensum in thuribulo dicens: † Benedictus Pater omnipotens: † Benedictus Filius unicus Jesus Christus: † Benedictus Spiritus paracletus, quibus nunc, et semper honor, et gloria, Amen.

Deinde circumcirca altare incensando, dicit:

Alleluja Patri; Alleluja Filio; Alleluja Spiritui sancto, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum, Amen.

† O Deus in æternum; tu es ante et post, qui cares principio et fine, magnus in providentia, potens in opere, et prudens in consilio, quæ omnia in omnibus demonstratur: oramus, et supplices te rogamus

Domine; ut in hac die nobiscum maneas, et faciem tuam super nos ostendas: nobiscum habita, dele peccata et iniquitates nostras quæ voluntarie et involuntarie, scienter et ignoranter fecimus; munda cor nostrum, et sanctifica animam nostram. Permitte nos tibi appropinquare: Oblatio, et gratiarum sacrificium, incensum spirituale, intret et ascendat in conspectu sanctitatis tuæ.

Quum incensat altare, dicit Orationem.

Memento, Domine, unicæ Ecclesiæ tuæ Sanctæ Apostolicæ, et congregationis tuæ, quam possedisti ab initio. Memento Domine Principis nostri, N. et Antistitum, patrum nostrorum, Patriarcharum, Archiepiscoporum,Episcoporum, Sacerdotum, Diaconorum, et omnium Apostolicæ fidei cultorum. Memento, Domine, Regis nostri, N. et omnium Regum Christianorum, parentum, famulorum famularumque tuarum, fratrum et sororum omnium fidelium dormientium, et in signo rectæ fidei quiescentium. Memento, Domine, congregationum nostrarum et benedic eis.

DIACONUS DICIT: Surgite in orationem.

SACERDOS. Pax vobis.

POPULUS. Et cum spiritu tuo.

SACERDOS, MAGNA VOCE SEQUITUR TER: Adoramus Patrem, Filium, et Spiritum S. trinum et unum.

POPULI REPLICANT IDEM TER.

SACERDOS SEQUITUR: Pax tibi sancta Ecclesia, habitatio pacis. Salve virgo Maria Dei genitrix, tu es thuribulum aureum, quæ carbonem ignitum portasti. Benedictus qui eum de Sanctuario recipit, quia vere Verbum Dei ipse est, qui peccata remittit et culpam delet, et ex te homo factus est, et Patri se ipsum verum incensum et preciosum sacrificium obtulit. Adoramus te Christe cum Patre tuo optimo et miseri-

corde, et Spiritu tuo vitali; quia tu venisti, et liberasti nos.

POPULUS REPLICAT IDEM.

Postea Coadjutor Sacerdotis, sequitur Orationem.

Domine intelligentiæ, et annunciator sapientiæ quæ prius nobis abscondita erat, eam manifestati, Domine largitor verbi exultationis et lætitiæ, prædicantibus magnificentiam virtutis tuæ. Tu es; qui Paulum multitudine bonitatis tuæ vocasti, qui prius erat persequutor Ecclesiæ, et constituisti eum vas electionis regni tui, et Evangelii Apostolum et prædicatorem elegisti, et concionatorem Regni tui.

O Christe Deus noster, tu es optimus amator hominum: concede nobis (quæsumus) sapientiam, intelligentium, scientiam, et intellectum; quæ semper nobiscum permaneant: ut sapiamus, intelligamus, sciamus, et perspiciamus Scripturam sanctitatis tuæ, quæ in conspectu tuo legitur. Sicut dona dedisti Paulo, et dignum tanta gratia eum fecisti: ita nos (quæsumus) quoque dignos fac, caput vitæ, ut eum imitemur et in viam ejus ambulemus, et ejus vestigia sequamur, et nomen tuum sanctum laudemus, et in cruce tua in omni tempore gloriemur; sicut et ipse semper gloriatus fuit. Tibi virtus, regnum, triumphus, magnificentia, honor, et gloria, in sæcula sæculorum, Amen.

DIACONUS ANTEQUAM LEGATUR EPISTOLA, DICIT: Omnes qui non amant Dominum nostrum, et in nativitatem suam minime credunt, et in S. Mariam Virginem, Anathema sint usque ad Adventum ejus.

Deinde legitur Epistola Pauli, quæ occurrit; et usque libet secundum diem occurrentem. Lecta Epistola, dicit Diaconus.

Gloria Patris, amor Filii, et donum Spiritus S. quæ descenderunt super Apostolos benedictos, et mundos

in Sion loco sancto, duplicentur super nos Christianos in sæcula sæculorum, Amen.

POPULUS: O bone minister, S. Paule sanator infirmorum, qui coronam recepisti; ora et intercede pro nobis, ut liberetur anima nostra propter multitudinem miserationum Jesu Christi, et sancti nominis sui.

DICIT DIACONUS: Surgite ad orationem.

POPULUS: Domine, miserere nostri.

SACERDOS: Pax vobis:

POPULUS: Et cum spiritu tuo.

SACERDOS SEQUITUR ORATIONEM SIGNATAM SUB SIGNO ☩ UT SUPRA INCIPIENTEM, O Deus in æternum tu es, &c. *Minister sive Subdiaconus ante Epistolam dicit; De Epistola Petri sive alterius Apostoli:* Discipulus et Apostolus Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi: cujus oratio et benedictio sit super nos semper, Amen.

POSTEA MAGNA VOCE DICIT EPISTOLAM.

Finita et lecta Epistola Diaconus sequitur.

Fratres mei nolite diligere mundum, neque ea quæ sunt in mundo, quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia est carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, quæ non ex Patre sed ex mundo est; et mundus transit, et concupiscentia ejus: qui autem facit voluntatem Ejus manet in æternum.

DICUNT POPULI: Sanctus Trinus et Unus in substantia tua; custodi congregationem nostram, propter sanctos Electos tuos et Discipulos tuos: consolare nos per misericordiam tuam, et propter nomen sanctum tuum.

DICIT DIACONUS: Surgite in orationem.

POPULUS: Domine, miserere nobis.

SACERDOS: Pax vobis.

POPULUS: Et cum spiritu tuo.

SACERDOS: Domine, Dominus noster, et Deus

noster, tu es qui Apostolis tuis sanctis mysterium gloriæ Christi tui manifestasti, et magna et innumerabilia dona eis tribuisti; divitias et secreta misericordiæ tuæ; eos ad prædicandum misisti. Propitius esto (Domine) et concedere dignare, facere nos participes et consortes hæreditatis eorum, et ambulare et sequi vestigia eorum. Præsta (quæsumus) ut in omni tempore eis similes simus, et in eorum amore fortificemur, et eorum labores participemus. Custodi Domine Ecclesiam Christianam sanctam; in bona adoratione quæ ædificata et fundata fuit per Apostolos sanctos.

Sacerdos sequitur erga populum:

✝ Benedic Gregi, et Agnis tuis: multiplica Domine hanc uvarum vitem, quam per manus tuas sanctas, per Dominum nostrum Jesum Christum, plantasti; cui, et tibi, et Spiritui S. gloria et potentia; et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Hic Sacerdos ponit incensum in thuribulo, dicens:

Domine Deus noster, qui sacrificium Abrahæ patris nostri suscepisti, et pro vice et salvatione Isaac Filii ejus, agnum descendere fecisti: sic, Domine, odorem istius incensi suscipe; et sicut Sacrificium illius agni recepisti, ita Domine mitte divitias gratiæ et misericordiæ tuæ. Fac nos puros et mundos ab omnibus malis odoribus peccatorum, et tuæ virtutis et majestatis dignos in laude munditiæ tuæ. O amator hominum, fac nos justos sine macula, cum lætitia omnibus diebus vitæ nostræ.

SEQUITUR. Memento Domine unicæ Ecclesiæ tuæ sanctæ, quæ de fine usque ad finem, in toto orbe terrarum, in Apostolis tuis congregata fuit. Lætare Domina, quia salutem sanctam deprecamur! O Virgo Mater Dei et Christi, in omni tempore effer sursum et in altum orationem nostram, apud electos Filii tui,

ut remittantur peccata nostra. Lætare Domina, quia peperisti nobis Lumen verum, Jesum Christum Dominum nostrum. Ora pro nobis apud eum, ut misereatur animæ nostræ, ora pro nobis in conspectu throni Filii Jesu Christi! lætare immaculata, vere Regina! Lætare gloria nostrorum Parentum, quia peperisti nobis Emanuelem! O vere mediatrix ante Dominum nostrum Jesum Christum, te supplices exoramus, ut memor sis nostri! ora pro nobis ut deleantur iniquitates nostræ.

COADJUTOR SACERDOS, ANTEQUAM LEGANTUR ACTA APOSTOLORUM; Hoc est opus et dicta nostrorum Patrum, apostolorum sanctorum, et immaculatorum. Gratia Spiritus sancti, et misericordia duplicetur super nos, et omnes Christianos, Amen.

Postea legitur ex Actis Apostolorum, secundum diem occurrentem. Finita lectione sequitur.

Verba Domini magna, multiplicata in Ecclesia sancta, populos credentes in Dominum Jesum Christum multiplicaverunt, cui gloria in sæcula sæculorum.

POPULUS RESPONDET: Amen.

POSTEA SEQUITUR: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Pater omnipotens. Sanctus, Sanctus, Sanctus, unicus Jesus Christus Filius, Verbum Patris! Sanctus, Sanctus, Sanctus, Spiritus S. sciens omnia!

DICIT DIACONUS: Surgite in orationem.

POPULUS. Domine, miserere nobis.

SACERDOS. Pax vobis.

POPULUS: Et cum spiritu tuo.

SACERDOS: Domine Deus noster Jesu Christe, qui dixisti discipulis tuis Sanctis et electis; multi Prophetæ et justi desideraverunt videre quæ vos videtis, et audire quæ auditis, et non viderunt neque audierunt; sed beati oculi vestri et aures vestræ, videntes et audientes: sic nos fac dignos audire et facere

verba Evangelii tui sancti, per orationes et preces Sanctorum tuorum.

DIACONUS DICIT : Orate.

SEQUITUR SACERDOS : Memento iterum Domine verborum tuorum, pro illis qui se orationibus nostris commendaverunt ; quando oramus ad te, Domine Deus noster, memento dormientium, et in recta fide quiescentium ; et concede infirmis sanitatem, quia tu es vita, spes, liberator, et resurrectio omnium ; tibi gratias referimus in æternum, et in sæcula sæculorum : Amen.

Diaconus accipiens Crucem, dicit:

Orate ut digni efficiamini audire Evangelium.

POSTEA CANTAT : Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo ; in Domino laudabitur anima mea, &c.

Sacerdos, idem dicit. Populus, ter idem dicit : et in ultimo versu semper dicitur, Alleluja.

DIACONUS CIRCUIT ECCLESIAM CLAMANDO : Surgite ; audite Evangelium sanctum et bonam annunciationem Domini nostri et Salvatoris nostri Jesu Christi.

Postea ; Coadjutor accipit thuribulum et porrigit Sacerdoti, qui ter incensat, accipiendo Evangelium erga populum, et dicit:

Magnus Deus, benedic ✝ nos, et populum Christianum ; et fac introitum nostrum in Ecclesia tua sancta, una cum angelis sanctis qui serviunt Deo, et laudant eum omni tempore, in sæcula sæculorum : Amen.

Sacerdos annunciat Evangelium, sic cantando.

Sanctum Evangelium, quod annunciavit Matthæus : vel Marcus, vel Lucas, vel Joannes.

Ministri accendunt lumina, et præparant alia necessaria, et dicunt.

Gloria Christo, et Domino nostro, et Deo nostro

semper: Exultate in Domino, qui auxiliatur nobis, et psallite Deo Jacob, accipite psalterium in cithara, &c.

Sacerdos alta voce legit Evangelium diei. Diaconus, finito Evangelio, dicit.

Exite foras, qui non vultis accipere Sacramentum, sive Eucharistiam: ite, Catechumeni.

Ministri dicunt: Et illi, Cherubim et Seraphim reddant gloriam, Sanctus, Sanctus, Sanctus, et Sanctus omnipotens, pleni sunt cœli et terra, gloriæ et sanctitatis tuæ. Adoramus te, Christe, cum Patre tuo optimo, et misericorde, et Spiritu S. vitali: tu venisti et liberasti nos.

Diaconus dicit: Surgite in orationem.

Populus: Domine, miserere nostri.

Sacerdos. Pax vobis.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus dicit: Surgite ad orationem.

Sacerdos dicit: Pax omnibus vobis: Et iterum rogemus omnipotentem Deum Patrem Domini et Dei ac Salvatoris nostri Jesu Christi: rogamus et petimus a bonitate tua, O amator hominum; recordare, Domine, pacis Ecclesiæ sanctæ in unum per Apostolos congregatæ.

Diaconus dicit: Orate pro hac Ecclesia sancta, in unum per Apostolos congregata, recta in Domino.

Populus dicit: Domine Deus noster, da nobis pacem: Domine Deus noster, da nobis pacem: Christe rex noster, miserere nobis.

Sacerdos dicit: Eam quæ fuit a principio, et erit usque in finem sæculi; omnes populos, et omnes greges benedic. Pacem de cœlo mitte super omnes animas nostras; Pacem vitæ nostræ da nobis per ipsam Ecclesiam. Da, Domine, pacem Regi nostro Claudio, et Principibus ejus, ac judicibus ejus et subditis ejus, et circa nos congregatis, tam extra

quam intra Ecclesiam. Orna eos omni genere pacis. Rex pacis: pacem da nobis, quoniam omnia dedisti nobis. Conserva nos, Domine; quoniam præter te neminem cognoscimus: nomen sanctum tuum nominamus et invocamus, ut vivat anima nostra in Spiritu S. nec invalescat mors peccati, super nos servos tuos et super omnem populum tuum.

Pro Pontificibus. Et iterum rogemus omnipotentem Deum Patrem Domini et Dei ac Salvatoris nostri Jesu Christi. Rogamus et petimus a bonitate tua; O amator hominum: recordare, Domine, patris nostri venerandi Principis Archiepiscoporum nostrorum N. ac sancti et beati Antistitis nostri N.

Diaconus dicit. Orate pro Principe nostro, Principe nostrorum Archiepiscoporum Domino Gabriele, et capite Episcoporum magnæ provinciæ Alexandrinæ; pro capite patriæ nostræ, venerando Archiepiscopo nostro Marco; ac omnibus Episcopis, Sacerdotibus, et Diaconis rectæ fidei.

Sacerdos dicit. Custodiendo custodi eos nobis, multis annis et longò tempore in justitia et pace; ut perficiant consecrationem quam tu commisisti dignitati Sacerdotali, secundum sanctam ac beatam voluntatem tuam; ut judicent in justitia et rectitudine, et pascant populos tuos in æquitate. Custodiendo custodi etiam omnes Episcopos, Sacerdotes, et Diaconos rectæ fidei, et omnes conformes sanctæ et unicæ Ecclesiæ quæ est congregatio Apostolica: orationes vero quas pro nobis et pro universis populis tuis faciunt, accepta in sacrificium tuum altissimum in odore bono suavitatis: et omnes hostes et adversarios eorum dissipa, et confringe sub pedibus eorum velociter. Ipsos vero custodi nobis in justitia et pace, in Ecclesia sancta tua.

Pro Congregatis, Sacerdos dicit. Et iterum

rogemus omnipotentem Deum Patrem Domini et Dei ac Salvatoris nostri Jesu Christi. Quærimus et rogamus a bonitate tua; O amator hominum. Recordare Domine congregationis nostræ, et benedic ei.

DIACONUS DICIT: Orate pro hac Ecclesia sancta, et nostra congregatione quæ in ea est.

POPULUS DICIT: Benedic congregationi nostræ, et custodi eam in pace.

DIACONUS DICIT: In sapientia Domini dicite et canite orationem fidei.

POPULUS DICIT: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum; et ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit: qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur. Qui loquutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum: et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.

SACERDOS DICIT. Fac eos ut sint tibi sine divisione, et sine pigritia faciant voluntatem tuam sanctam et

beatam. Fac eos domum orationis, domum puritatis, domum abundantiæ et gratiæ, gratificare, Domine, nobis servis tuis et post nos venturis in sæculum. Exurge, Domine Deus noster, et dissipentur inimici tui, et fugiant ante faciem tuam omnes qui oderunt sanctum et benedictum nomen tuum: populi autem tui sint benedicti millies millibus, et iterum millies millibus benedictionum; faciantque omnem voluntatem tuam, per gratiam, benignitatem, ac amorem, homines Filii tui unigeniti Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi; cui, et tibi, ac Spiritui S. sit gloria et potentia, nunc et semper, et in sæcula sæculorum, Amen.

ORATIO PRO PACE PERFECTA. SACERDOS DICIT. Magnus et æternus Dominus plasmavit hominem immaculatum, incorruptibilem. Mors autem ingressa est a principio in mundum ob invidiam diaboli. Tu Domine eripuisti vim ejus per adventum unigeniti Filii tui Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi; et implevisti totam terram pace tua; propterea cœlestes legiones laudant te dicentes; Gloria Domino in cœlis, et pax in terrá hominibus bonæ voluntatis.

DIACONUS DICIT. Orate pro pace perfecta et amabili ac salutifera et Apostolica: salutate vos invicem. Qui communicare non vultis, discedite: qui autem vultis communicare, amplectimini invicem in plenitudine cordis. Qui communicat; custodiat se a malo.

SACERDOS DICIT. O Domine; ex beneplacito tuo imple corda nostra pace tua, et munda nos ab omni mala cogitatione, et immunditia et ab omni memoria injuriarum, et ab omni invidia, et recordatione malorum, quæ mortem inferunt. O Domine fac nos omnes dignos ut salutemur ad invicem salutatione sancta et immaculata, et recipiamus sine judicio et

sine morte donum tuum cœleste; hoc est, gratiam tuam cum Spiritu S.

POPULUS DICIT. Christe Deus noster, fac nos dignos salutandi te salutatione cœlesti, ac laudandi te una cum Cherubim et Seraphim, dicentes: Sanctus, Sanctus omnipotens; pleni sunt cœli et terra sanctitate gloriæ tuæ.

SACERDOS DICIT. Dominus vobiscum; Sanctus inter Sanctos, Sanctus inter Sanctos, Sanctus. Gratias agimus tibi Domine, per dilectum unigenitum Filium tuum Dominum Deum et Servatorem nostrum Jesum Christum, quem in posteriori tempore misisti nobis Filium tuum, Servatorem et redemptorem, Nuncium consilii tui, qui Verbum tuum est, et per quem omnia fecisti secundum voluntatem tuam.

DIACONUS DICIT: Per beatum et sanctum Patriarcham nostrum, N. et per venerandum Antistitem nostrum, N. qui suis orationibus et precibus laudant te; per Stephanum Protomartyrem, Zachariam sacerdotem; Joannem Baptistam, per omnes Sanctos martyres qui in fide Jesu Christi quieverunt, per Matthæum, Marcum, Lucam, et Joannem, Evangelistas, per Mariam Dei genitricem, per Simonem Petrum, Andream, Jacobum, Joannem, Philippum, Bartholomæum, Thomam, Matthæum, Thadæum, Nathanael, Jacobum Alfei, et Matthiam Apostolos, per Jacobum Apostolum fratrem Domini nostri Episcopum Jerusalem sanctæ, per Paulum, Timotheum, Silam, Barnabam, Titum, Philemona, Clementem, et per Septuaginta duos discipulos, et quingentos socios eorum; ac per trecentos decem et octo rectæ fidei Patres, visita nos et fac nos participes orationum eorum omnium: et super omnia recordare Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ in pace, precioso sanguine per Christum ædificatæ: recordare etiam omnium

Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Sacerdotum, et Diaconorum, qui dirigunt viam verbi quod est in veritate.

DICIT POPULUS: Miserere, Domine, animarum servorum tuorum et ancillarum tuarum, qui manducarunt carnem tuam et biberunt tuum sanguinem, et in fide tua quieverunt.

ORATIO BENEDICTIONIS. SACERDOS DICIT: O sancta Trinitas; Pater, Fili et Spiritus S. benedic super populum tuum Christianum electum benedictione cœlesti; et mitte super nos gratiam Spiritus S. Aperi nobis fores Ecclesiæ tuæ sanctæ, propter misericordiam tuam et fidem nostram: perfice in nobis fidem Trinitatis usque ad extremum spiritum, O princeps noster Jesu Christe, visita infirmum populum tuum, et sana eum. Dirige patres nostros et fratres nostros peregrinantes, reduc eos ad lares suos, cum salute et pace, benedic ventos cœli, et pluvias ac fructus terræ præsentis anni pro gratia tua: præbe semper gaudium et delicias super faciem terræ et corrobora super nos pacem tuam. Induc corda Regum proborum ad benefaciendum nobis: da gratiose honorem principibus Ecclesiæ sanctæ, singulis eorum juxta eorum nomen; in conspectu Regum potentium, fac eos gratos: O Domine, præbe requiem animabus patrum et fratrum nostrorum qui in recta fide dormiunt et quiescunt: et benedic his qui laborant circa thura, circa sacrificia, circa vinum, circa oleum, ac butyrum, et circa cortinas, et circa etiam libros, et cathedras, circa res omnes sanctæ Ecclesiæ, ut Jesus Christus Deus noster remuneretur eos in cœlesti Jerusalem. Miserere omnium qui nobiscum congregati sunt ad quærendam misericordiam Dei nostri Jesu Christi, et omnibus illis qui nobis eleemosynam tribuerunt, in

sede judicii tui mitis sis et placidus. Libera, Domine, ob multitudinem misericordiæ tuæ, omnes animas inopes et afflictas; carceratos quoque ac captivos et exules ac in servitutem adactos, et in amaris laboribus detentos. Recordare Domine noster Jesu Christe in regno cœlorum, omnium illorum qui a nobis petierunt ut recordaremur eorum. O Domine libera populum tuum et benedic hæreditati tuæ, ac nutri eum et exalta usque in sæculum. Custodi eos in recta fide et in gloria, omni tempore; et fac ut ferveant ineffabili et inexcogitabili charitate, per preces ac intercessionem quam pro nobis facit Domina nostra sancta et immaculata virgo Maria; et per preces majorum Angelorum splendentium, Michaelis, et Gabrielis, ac Raphaelis, et Urielis: et quatuor animalium sine carne, et viginti quatuor Seniorum cœli; et Patrum nostrorum sanctorum Patriarcharum, Abraham, Isaac, et Jacob, et omnium proborum Patrum priorum ac quindecim Patrum nostrorum Prophetarum ac sancti Joannis Baptistæ, et quatuordecim millium puerorum Bethleem, et Patrum nostrorum duodecim principum Apostolorum, et Septuaginta duorum discipulorum, et quingentorum sociorum eorum; ac trium puerorum, Ananiæ, Azariæ, et Misael; ac sancti Marci Evangelistæ et Martyris, et S. Stephani Archidiaconi Protomartyris, et S. Georgii stellæ honoris, Theodori, Banadlii, Claudii, Minas electi, Cosmæ et Damiani, et patrum nostrorum principum Episcoporum trecentorum decem et octo qui fuerunt Niceæ, et centum quinquaginta qui fuerunt Constantinopoli, et ducentorum qui fuerunt Ephesi; et Tecla Aimanot, quorum orationes et benedictiones et auxilium ac gratia sit nobiscum in sæcula sæculorum: Amen. Istorum et illorum omnium animabus requiem tribue, et miserere eorum,

ob id enim misisti ex cœlo Filium tuum in uterum Virginis.

DIACONUS DICIT: Qui sedetis, surgite.

SACERDOS DICIT: In quo portatus, caro factus est, et notus per Spiritum S. in ejus nativitate.

DIACONUS DICIT: Aspicite ad ortum.

SACERDOS DICIT: Coram te assistant millia millium sanctorum Angelorum, et principum eorum.

DIACONUS DICIT: Aspiciamus.

SACERDOS DICIT: Honorata quoque animalia, sex alas habentia, Seraphim et Cherubim qui cum duabus alis suis faciem suam, et cum duabus pedes suos tegunt; cum duabus vero volant a fine mundi ad finem; sicut semper te sanctificant et laudant, sic a nobis sanctificationem nostram recipias, qui dicis assidue; Sanctus.

DIACONUS DICIT: Dicite.

POPULUS DICIT: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Sabbaoth, perfecte pleni sunt cœli et terra sanctitate gloriæ tuæ.

SACERDOS DICIT: Vere pleni sunt cœli et terra, sanctitate gloriæ tuæ, per Dominum et Servatorem nostrum Jesum Christum, cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum; Amen. Sanctus Filius tuus venit ex Virgine ut voluntatem tuam adimpleret, et populum sanctum tibi ordinaret.

POPULUS DICIT: Secundum misericordiam tuam Domine, nec secundum peccata nostra.

SACERDOS DICIT: Extendit manus suas ad infirmitatem; Infirmatus est ut infirmos sanaret in se sperantes. Qui etiam datus est per voluntatem suam infirmitati, ut mortem destrueret, et vincula diaboli dissolveret, et calcaret infernum; probos dirigeret, ordinem plantaret, et resurrectionem suam manifestaret. In ea nocte in qua traditus est, accepit panem in sanctas ac

beatas et sine macula manus suas. Inspexit in cœlum ad te Patrem suum, gratias egit, † benedixit, † et sanctificavit, † et dedit discipulis suis dicens, Accipite et comedite ex eo omnes: Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur in remissionem peccatorum Amen.

POPULUS DICIT: Amen, amen, amen, credimus et confidimus, et laudamus te; O Domine Deus noster. Hoc vere corpus tuum est.

SACERDOS DICIT: Similiter calicem, gratias agens † benedixit † et sanctificavit, † et dixit eis: Accipite et bibite ex eo omnes, hic est calix sanguinis mei qui pro vobis effundetur et pro redemptione multorum. Amen.

POPULUS DICIT: Amen, amen, amen, credimus et confidimus, et laudamus te, O Domine Deus noster, hic vere sanguis tuus est.

SACERDOS DICIT: Quoties hoc feceritis, in mei memoriam facietis.

POPULUS DICIT: Annunciamus mortem tuam, Domine, et sanctam resurrectionem tuam; credimus ascensionem tuam, et secundum adventum tuum; rogamus te, Domine Deus noster: hæc vera esse credimus.

SACERDOS DICIT: Nunc autem recordamur mortis tuæ et resurrectionis tuæ; offerimusque tibi hunc panem et hunc calicem, tibique gratias agimus quod per hoc sacrificium dignos nos fecisti standi in conspectu tuo et sacerdotale officium coram te exequendi. Oramus te Domine et a te instanter petimus, ut mittas Spiritum S. super hunc panem et hunc calicem, videlicet corpus et sanguinem Domini et Servatoris nostri Jesu Christi, in sæcula sæculorum, Amen. Tribue simul omnibus ex eo sumentibus, ut fiat eis ad sanctificationem et plenitudinem Spiritus S. et ad

corroborationem fidei, ut sanctificent et laudent te, per Dominum et Servatorem nostrum Jesum Christum cum Sancto Spiritu, in sæcula sæculorum, Amen.

DIACONUS DICIT: Quæsumus te, Domine Deus noster, toto corde, ut des nobis bonam Spiritus Sancti unionem.

SACERDOS SEQUITUR. Da nobis ut conjungamur in Spiritu sancto tuo, et sana nos per hoc sacrificium, ut in te salvi simus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Benedictum sit nomen Domini, et benedictus qui venit in nomine Domini, et benedictum nomen gloriæ ejus: fiat, fiat, fiat.

POPULUS DICIT: Benedictum sit nomen Domini, et benedictus qui venit in nomine Domini et benedictum nomen gloriæ ejus: fiat, fiat, fiat.

SACERDOS DICIT: Mitte gratiam Spiritus S. super nos Domine.

DIACONUS DICIT: Surgite ad orationem.

Sacerdos dicit ad Orationem Fragmenti.

Confiteor tibi Domine Deus meus omnipotens, qui sedes super thronum Cherubim, et habitas super excelsa, et laudaris ab humilibus; qui in splendore existens, mundum cognovisti et absconditum mysterium in cruce nobis ostendisti: quis Deus misericors et Sanctus sicut tu? Potestas tua non est elongata a nobis, quam tuis dedisti discipulis qui mundo et sincero corde tibi serviunt et offerunt tibi sacrificium suave olentis odoris, per Dominum et Servatorem nostrum Jesum Christum, cui, et Tibi, et Spiritui S. sit gratia, honor, et gloria, in sæcula sæculorum.

DIACONUS DICIT: Qui statis, humiliate capita vestra.

SACERDOS DICIT: Domine qui habitas super Cherubim, et respicis super populum tuum et hæreditatem tuam, benedic servos tuos et ancillas tuas, et filios

eorum, portionem tribue eis qui de miraculosa mensa tua sumere veniunt pro mentis purgatione, et peccatorum remissione, unioneque Spiritus S. ac salute animæ et corporis, et hæreditate regni cœlorum, cum honore et voluntate, per unicum Filium tuum; cui, et Tibi cum eo, et cum Spiritu S. laus et gloria, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum, Amen.

DICIT SUBDIACONUS CUM POPULO: Exercitus Angelorum Salvatoris mundi stant coram eo, et legunt corpus et sanguinem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi: accedamus ante faciem ejus, et in fide eum revereamur.

DIACONUS DICIT: Adorate Deum cum timore.

SACERDOS DICIT: Domine Deus omnipotens, salus animæ et corporis nostri; qui per os Filii tui unigeniti Domini Dei et Servatoris nostri Jesu Christi, dixisti Patri nostro Petro, Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferni non prævalebunt adversus eam concutiendam, et tibi dabo claves regni cœlorum; quemcunque ligaveris super terram, erit ligatus in cœlis, et quemcunque solveris super terram, erit solutus in cœlis, sint soluti servi tui et ancillæ tuæ, ab ore sanctæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et etiam ab ore meo, servo tuo peccatore et culpis pleno: Domine Deus noster tu tollis peccata mundi, suscipe pœnitentiam servorum tuorum, et ancillarum tuarum. Oriri fac super eos lumen vitæ; evelle ab eis peccata eorum, quoniam tu es misericors et miserator, Domine Deus noster: alienus ab ira, abundans misericordiæ et vere justus. Quando in te peccamus Domine aut cogitatione, aut verbo, aut opere, parce, evelle, et compatere quoniam tu es misericors et hominum amator. Domine Deus noster solve nos omnes, et omnes populos tuos: solve Domine summum Pontificem nostrum, N. et

sanctum ac beatum Antistitem nostrum, N. et omnes alios Pontifices, Episcopos, Sacerdotes, et Diaconos, juxta eorum nomina custodiendo custodi eos propter nos, ad multos annos et ad longos dies, in justitia et pace. Solve Domine Regem nostrum Claudium, ab omni vinculo delictorum. Memento Domine omnium dormientium et quiescentium in fide Christi, colloca animas eorum in sinu Abrahæ, Isaac, et Jacob, et libera nos ab omnibus culpis et maledictionibus, et ab omnibus abnegationibus veritatis, et ab omnibus perjuriis, ac communione infidelium et gentilium ac hæreticorum. Da nobis cor et intelligentiam aufugiendi ab omnibus operibus diaboli; da nobis ut faciamus voluntatem tuam in omni tempore, et describe nomina nostra in regnis cœlorum, et conjunge cum omnibus Sanctis et Martyribus per Jesum Christum Dominum nostrum, cui, ac tibi, et Spiritui S. sit gloria, et potentia, nunc et semper et in sæcula sæculorum, Amen.

DIACONUS DICIT: Inspiciamus.

SACERDOS: Sancta date Sanctis.

POPULUS DICIT: Unus Pater Sancta; unus Filius sanctus, unus Spiritus sanctus.

SACERDOS DICIT: Dominus vobiscum sit.

POPULUS DICIT: Et cum spiritu tuo.

Sacerdos elevans Sacramentum, dicit alta voce.

Domine Jesu Christe miserere nostri; Domine Jesu Christe miserere nostri; Domine Jesu Christe miserere nostri.

Populi reiterant eadem verba.

SACERDOS DICIT: Oremus, qui estis pœnitentes, humiliate capita vestra; surgite ad adorandum. Pax omnibus vobis.

POPULUS DICIT: Et cum spiritu tuo.

SACERDOS DICIT: Hoc est corpum sanctum, hono-

ratum et vitale Domini et Servatoris nostri Jesu Christi quod datum est in remissionem peccatorum et ad vitam æternam consequendam, vere sumentibus ipsum, Amen. Hic est sanguis Domini et Servatoris nostri Jesu Christi, sanctus, honoratus, ac vivificans, qui datus est in remissionem peccatorum, et ad vitam æternam consequendam, vere sumentibus ipsum. Amen. Vere hoc est corpus; et hic est sanguis Emanuel Dei nostri, Amen. Credo, Credo, Credo ex nunc et usque in sæculum; Amen. Hoc est corpus, et hic est sanguis Domini et Servatoris nostri Jesu Christi, quod et quem assumpsit ex Domina nostra sancta, et immaculata virgine Maria, et univit cum Divinitate sine mixtione aut copula naturali, sine separatione aut permutatione Divinitatis, quam rem testatus est optimo testimonio, tempore Pontii Pilati, quo se sponte præbuit pro nobis in ligno sancto crucis, Amen. Credo, Credo, Credo quod Divinitas non sit separata ab Humanitate, ne hora quidem neque per ictum oculi: dedit autem se pro nobis ad salutem et in remissionem peccatorum, et ad vitam æternam consequendam, sumentibus eum in veritate, Amen. Credo, Credo, Credo ex nunc et usque in sæculum, Amen. Hæc ejus sunt qui dignus est honore, gloria, et reverentia.

Hic, Sacerdos sumit corpus et Sanguinem, et postea communicat ex eadem hostia, ministris Sacrificii; dicens: Hoc est corpus, &c.

DIACONUS DICIT: Orate pro nobis, et pro omnibus populis Christianis, et illorum memoriam facite qui nobis dixerunt ut sui recordaremur, laudate et psallite cum pace et amore Jesu Christi.

Hoc loco dum ministratur Sacramentum populo, psallunt docti aliqua carmina in honorem Sacramenti,

et Sanctorum quorum festa celebrantur, composita; quæ populus reiterat canendo.

SACERDOS DICIT: Quos vocasti Domine, et quos sanctificasti, portionem da eis in vocatione tua, et fortifica eos in amore tuo, et custodi in sanctificatione tua per Christum unicum Filium tuum, cui et Tibi cum eo, et cum sancto Spiritu, gloria et honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum, Amen. Domine qui æternum lumen vitæ et fortitudinem servis tuis tribuisti, et eos custodivisti pluribus diebus ac noctibus præteritis in pace, benedic eis etiam in hac die post Dominum nostrum Jesum Christum, cui, et Tibi cum eo, et sancto Spiritu, gloria et honor, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum, Amen.

DIACONUS DICIT: Gratias agamus Domino, Sanctum ejus sumpsimus, medela ad vivificandam animam. Laudemus Dominum Deum nostrum; sumpsimus sanctum corpus, et venerandum sanguinem: hoc est corpus Christi. Et gratias ei agamus, quod digni fuerimus participare de hoc venerando et sancto mysterio.

SACERDOS DICIT: Exaltabo te Rex meus et Deus meus, et benedicam nomini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi.

POPULUS DICIT ALTA VOCE. Pater noster qui es in cœlis, non inducas nos Domine in tentationem.

SACERDOS DICIT. Per singulos dies benedicam tibi, et laudabo nomen tuum in sæculum sæculi.

POPULUS ITERUM DICIT: Pater noster qui es in cœlis, non inducas nos in tentationem.

SACERDOS DICIT: Laudem Domini loquetur os meum, et benedicet omnis caro nomini sancto ejus, in sæculum et in sæculum sæculi.

POPULUS ITERUM DICIT: Pater noster, &c. *ut supra.*

SACERDOS DICIT: Domine animarum rector, Sanc-

torum director, et justorum honor, da nobis intelligentiæ oculos qui te semper videant, et aures quæ te solum semper audiant; postquam satiasti animam nostram gratia tua. Cor mundum crea in nobis Domine, ut magnitudinem et probitatem tuam ac amorem tuum erga homines intelligamus: fiat voluntas tua super animam nostram, et mentem puram ac rectam tribue nobis qui de corpore tuo et sanguine tuo sumpsimus, servi tui humiles, quoniam regnum tuum, Domine. Gloria ac benedictio sit Patri, et Filio, et Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum.

Ἅγιος εἶ βασιλεῦ τῶν αἰώνων καὶ πάσης ἁγιωσύνης κύριος καὶ δωτήρ· ἅγιος καὶ ὁ μονογενής σου υἱὸς, ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, δι' οὗ τὰ πάντα ἐποίησας. Ἅγιον δὲ καὶ τὸ πνεῦμα σου τὸ ἅγιον τὸ ἐρευνῶν τὰ πάντα, καὶ τὰ βάθη σου τοῦ θεοῦ. Ἅγιος εἶ παντοκράτορ, παντοδύναμε, ἀγαθὲ, φοβερὲ, εὔσπλαγχνε, ὁ συμπαθὴς μάλιστα περὶ τὸ πλάσμα τὸ σόν· ὁ ποιήσας ἀπὸ γῆς ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα σὴν καὶ ὁμοίωσιν. Ὁ χαρισάμενος αὐτῷ τὴν τοῦ παραδείσου ἀπόλαυσιν. Παραβάντα δὲ τὴν ἐντολήν σου, καὶ ἐκπεσόντα, τοῦτον οὐ παρεῖδες, οὐδὲ ἐγκατέλιπες ἀγαθὲ, ἀλλ' ἐπαίδευσας αὐτὸν ὡς εὔσπλαγχνος πατὴρ, ἐκάλεσας αὐτὸν διὰ νόμου, ἐπαιδαγώγησας αὐτὸν διὰ τῶν προφητῶν. Ὕστερον δὲ αὐτὸν τὸν μονογενῆ σου υἱὸν τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐξαπέστειλας εἰς τὸν κόσμον, ἵνα ἐλθὼν, τὴν σὴν ἀνανεώσῃ καὶ ἀνεγείρῃ εἰκόνα· ὃς κατελθὼν ἐκ τῶν οὐρανῶν, καὶ σαρκωθεὶς ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου καὶ θεοτόκου. Συναναστραφείς τε τοῖς ἀνθρώποις, πάντα ᾠκονόμησε πρὸς σωτηρίαν τοῦ γένους ἡμῶν. Μέλλων δὲ τὸν ἑκούσιον καὶ ζωοποιὸν διὰ σταυροῦ θάνατον ὁ ἀναμάρτητος ὑπὲρ ἡμῶν τῶν ἁμαρτωλῶν καταδέχεσθαι, ἐν τῇ νυκτὶ ᾗ παρεδίδοτο, μᾶλλον δὲ ἑαυτὸν παρεδίδου, ὑπερ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς καὶ σωτηρίας.

Εἶτα ὁ ἱερεὺς τῇ χειρὶ τὸν ἄρτον κατασχὼν, λέγει·

Λαβὼν τὸν ἄρτον ἐπὶ τῶν ἁγίων καὶ ἀχράντων καὶ ἀμώμων καὶ ἀθανάτων αὐτοῦ χειρῶν, ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ ἀναδείξας σοὶ τῷ θεῷ καὶ πατρὶ, εὐχαριστήσας, ἁγιάσας, κλάσας, ἔδωκεν ἡμῖν τοῖς αὐτοῦ μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις εἰπών·

Λέγουσιν οἱ διάκονοι.

Εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον.

Εἶτα ἐκφώνει. Λάβετε, φάγετε. Τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον καὶ διδόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.

Ὁ λαὸς. Ἀμήν.

Εἶτα λαμβάνει τὸ ποτήριον, καὶ λέγει.

Ὡσαύτως μετὰ τὸ δειπνῆσαι, λαβὼν τὸ ποτήριον, καὶ κεράσας ἐξ οἴνου καὶ ὕδατος, καὶ ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ ἀναδείξας σοὶ τῷ θεῷ καὶ πατρὶ, εὐχαριστήσας, ἁγιάσας, εὐλογήσας, πλήσας πνεύματος ἁγίου, ἔδωκεν ἡμῖν τοῖς αὐτοῦ μαθηταῖς εἰπὼν, Πίετε ἐξ αὐτοῦ παντες, τοῦτό μου εστὶ τὸ αἷμα τὸ τῆς καινῆς διαθήκης τὸ ὑπὲρ ὑμῶν καὶ πολλῶν ἐκχεόμενον καὶ διαδιδόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.

Ὁ λαὸς· Ἀμήν.

Ὁ ἱερεὺς·

Τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. Ὁσάκις γὰρ ἂν ἐθίητε τὸν ἄρτον τοῦτον, καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο πίνητε, τὸν θάνατον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου καταγγέλλετε, καὶ τὴν ἀνάστασιν αὐτοῦ ὁμολογεῖτε, ἄχρις οὗ ἔλθῃ.

Λέγουσιν οἱ διάκονοι. Πιστεύομεν καὶ ὁμολογοῦμεν.

Ὁ λαὸς. Τὸν θάνατόν σου κύριε καταγγέλλομεν καὶ τὴν ἀνάστασίν σου ὁμολογοῦμεν.

Ὁ ἱερεὺς.

Μεμνημένοι οὖν καὶ ἡμεῖς οἱ ἁμαρτωλοὶ τῶν ζωοποιῶν αὐτοῦ παθημάτων, τοῦ σωτηρίου σταυροῦ, καὶ τοῦ θανάτου, καὶ τῆς ταφῆς, καὶ τῆς τριημέρου ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως, καὶ τῆς εἰς οὐρανοὺς ἀνόδου, καὶ τῆς ἐκ δεξιῶν σου τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς καθέδρας, καὶ τῆς δευτέρας ἐνδόξου καὶ φοβερᾶς αὐτοῦ παρουσίας, ὅταν ἔλθῃ μετὰ δόξης κρῖναι ζῶντας καὶ νεκροὺς, ὅταν μέλλῃ ἀποδιδόναι ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ, προσφέρομέν σοι δέσποτα

τὴν φοβερὰν ταύτην καὶ ἀναίμακτον θυσίαν, δεόμενοι ἵνα μὴ κατὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ποιήσῃς μεθ' ἡμῶν, μηδὲ κατὰ τὰς ἀνομίας ἡμῶν ἀνταποδώσῃς ἡμῖν. Ἀλλὰ κατὰ τὴν σὴν ἐπιείκειαν καὶ ἄφατόν σου φιλανθρωπίαν, ὑπερβὰς καὶ ἐξαλείψας τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον τῶν σῶν ἱκετῶν, χαρίσῃ ἡμῖν τὰ ἐπουράνια καὶ αἰώνιά σου δωρήματα, ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη, ἃ ἡτοίμασας ὁ θεὸς τοῖς ἀγαπῶσί σε, καὶ μὴ δι' ἐμὲ καὶ διὰ τὰς ἐμὰς ἁμαρτίας ἀθετήσῃς τὸν λαὸν, φιλάνθρωπε κύριε.

Εἶτα λέγει ἐκ τρίτου.

Ὁ γὰρ λαός σου καὶ ἡ ἐκκλησία σου ἱκετεύουσί σε.

Ὁ λαὸς. Ἐλέησον ἡμᾶς κύριε ὁ θεὸς, ὁ πατὴρ ὁ παντοκράτωρ.

Πάλιν λέγει ὁ ἱερεύς.

Ἐλέησον ἡμᾶς ὁ θεὸς ὁ παντοκράτωρ. Ἐλέησον ἡμᾶς ὁ θεὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν. Ἐλέησον ἡμᾶς ὁ θεὸς κατὰ τὸ μέγα ἔλεός σου, καὶ ἐξαπόστειλον ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα, τὸ πνεῦμά σου τὸ πανάγιον.

Εἶτα κλίνας τὸν αὐχένα, λέγει.

Τὸ κύριον καὶ ζωοποιὸν, τὸ σύνθρονον σοὶ τῷ θεῷ καὶ πατρὶ, καὶ τῷ μονογενεῖ σου υἱῷ, τὸ συμβασιλεῦον, τὸ ὁμοούσιόν τε καὶ συναΐδιον. Τὸ λαλῆσαν ἐν νόμῳ καὶ προφήταις, καὶ τῇ καινῇ σου διαθήκῃ. Τὸ καταβὰν ἐν εἴδει περιστερᾶς ἐπὶ τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ποταμῷ καὶ μεῖναν ἐπ' αὐτόν. Τὸ καταβὰν ἐπὶ τοὺς ἀποστόλους σου ἐν εἴδει πυρίνων γλωσσῶν ἐν τῷ ὑπερῴῳ τῆς ἁγίας καὶ ἐνδόξου Σιὼν, ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς πεντηκοστῆς. Αὐτὸ τὸ πανάγιον κατάπεμψον δέσποτα ἐφ' ἡμᾶς, καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα ἅγια δῶρα ταῦτα.

Καὶ ἀνιστάμενος ἐκφωνεῖ.

Ἵνα ἐπιφοιτῆσαν τῇ ἁγίᾳ καὶ ἀγαθῇ καὶ ἐνδόξῳ αὐτοῦ παρουσίᾳ ἁγιάσῃ καὶ ποιήσῃ, τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον, σῶμα ἅγιον τοῦ Χριστοῦ σου.

Ὁ λαὸς. Ἀμήν.

Ὁ ἱερεὺς. Καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο, αἷμα τίμιον τοῦ Χριστοῦ σου.

Ὁ λαὸς. Ἀμήν.

Ὁ ἱερεὺς καθ' ἑαυτὸν, ἱστάμενος.

Ἵνα γένηται πᾶσι τοῖς ἐξ αὐτῶν μεταλαμβάνουσιν εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον, εἰς ἁγιασμὸν ψυχῶν καὶ σωμάτων, εἰς καρποφορίαν ἔργων ἀγαθῶν, εἰς στηριγμὸν τῆς ἁγίας σου καθολικῆς ἐκκλησίας, ἣν ἐθεμελίωσας ἐπὶ τὴν πέτραν τῆς πίστεως, ἵνα πύλαι ᾅδου μὴ κατισχύσωσιν αὐτῆς, ῥυόμενος αὐτὴν ἀπὸ πάσης αἱρέσεως καὶ σκανδάλων καὶ ἐργαζομένων τὴν ἀνομίαν, διαφυλάττων αὐτὴν μέχρι τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος.

Καὶ ἐπικλιθεὶς λέγει.

Προσφέρομέν σοι δέσποτα καὶ ὑπὲρ τῶν ἁγίων σου τόπων, οὓς ἐδόξασας τῇ θεοφανείᾳ τοῦ Χριστοῦ σου, καὶ τῇ ἐπιφοιτήσει τοῦ παναγίου σου πνεύματος, προηγουμένως, ὑπὲρ τῆς ἐνδόξου Σιὼν τῆς μητρὸς πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν. Καὶ ὑπὲρ τῆς κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ἁγίας σου καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας, πλουσίας καὶ νῦν τὰς δωρεὰς τοῦ παναγίου σου πνεύματος, ἐπιχορήγησον αὐτῇ δέσποτα. Μνήσθητι κύριε καὶ τῶν ἐν αὐτῇ ἁγίων πατέρων, καὶ ἀδελφῶν ἡμῶν, καὶ ἐπισκόπων τῶν ἐν πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ ὀρθοδόξως ὀρθοτομούντων τὸν λόγον τῆς σῆς ἀληθείας. Μνήσθητι κύριε καὶ πάσης πόλεως καὶ χώρας καὶ τῶν ὀρθοδόξως πίστει οἰκούντων ἐν αὐταῖς, εἰρήνης καὶ ἀσφαλείας αὐτῶν. Μνήσθητι κύριε πλεόντων, ὁδοιπορούντων, ξενιτευόντων Χριστιανῶν, τῶν ἐν δεσμοῖς, τῶν ἐν φυλακαῖς, τῶν ἐν αἰχμαλωσίαις καὶ ἐξορίαις, τῶν ἐν μετάλλοις καὶ βασάνοις, καὶ πικραῖς δουλείαις ὄντων πατέρων καὶ ἀδελφῶν ἡμῶν. Μνήσθητι κύριε τῶν νοσούντων καὶ καμόντων, καὶ τῶν ὑπὸ πνευμάτων ἀκαθάρτων ἐνοχλουμένων, τῆς παρὰ σοῦ τοῦ θεοῦ ταχείας ἰάσεως αὐτῶν καὶ σωτηρίας. Μνήσθητι κύριε πάσης ψυχῆς Χριστιανῆς θλιβομένης καὶ καταπονουμένης, ἐλέους καὶ βοηθείας σου τοῦ θεοῦ ἐπιδεομένης, καὶ ἐπιστροφῆς τῶν πεπλανημένων. Μνήσθητι κύριε τῶν κοπιώντων καὶ διακονούντων ἡμῖν πατέρων καὶ ἀδελφῶν ἡμῶν διὰ τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον. Μνήσθητι κύριε πάντων εἰς ἀγαθόν· πάντας ἐλέησον δέσποτα· πᾶσιν ἡμῖν διαλλάγηθι· εἰρήνευσον τὰ πλήθη τοῦ λαοῦ σου· διασκέδασον τὰ σκάνδαλα· κατάργησον τοὺς πολέμους· παῦσον τὰς τῶν αἱρέσεων ἐπαναστάσεις· τὴν σὴν εἰρήνην καὶ τὴν σὴν

ἀγάπην χάρισαι ἡμῖν, ὁ θεὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν, ἡ ἐλπὶς πάντων τῶν περάτων τῆς γῆς. Μνήσθητι κύριε εὐκρασίας ἀέρων, ὄμβρων εἰρηνικῶν, δρόσων ἀγαθῶν, καρπῶν εὐφορίας, καὶ τοῦ στεφάνου τοῦ ἐνιαυτοῦ τῆς χρηστότητός σου· οἱ γὰρ ὀφθαλμοὶ πάντων εἰς σὲ ἐλπίζουσι, καὶ σὺ δίδως τὴν τροφὴν αὐτῶν ἐν εὐκαιρίᾳ. Ἀνοίγεις σὺ τὴν χεῖρά σου, καὶ ἐμπιπλᾷς πᾶν ζῷον εὐδοκίας. Μνήσθητι κύριε τῶν καρποφορούντων καὶ καλλιεργούντων ἐν ταῖς ἁγίαις σου ἐκκλησίαις· καὶ μεμνημένων τῶν πενήτων, χηρῶν, ὀρφανῶν, ξένων, καὶ ἐπιδεομένων. Καὶ πάντων τῶν ἐντειλαμένων ἡμῖν τοῦ μνημονεύειν αὐτῶν ἐν ταῖς προσευχαῖς. Ἔτι μνησθῆναι καταξίωσον κύριε καὶ τῶν τὰς προσφορὰς ταύτας προσενεγκάντων ἐν τῇ σήμερον ἡμέρᾳ ἐπὶ τὸ ἅγιόν σου θυσιαστήριον, καὶ ὑπὲρ ὧν ἕκαστος προσήνεγκεν, ἢ κατὰ διάνοιαν ἔχει, καὶ τῶν ἀρτίως σοι ἀνεγνωσμένων. Μνήσθητι κύριε κατὰ τὸ πλῆθος τοῦ ἐλέους σου καὶ τῶν οἰκτιρμῶν σου, καὶ ἐμοῦ τοῦ ταπεινοῦ καὶ ἀχρείου δούλου σου, καὶ τῶν τὸ ἅγιόν σου θυσιαστήριον κυκλούντων διακόνων. Καὶ χάρισαι αὐτοῖς βίον ἄμεμπτον, ἄσπιλον αὐτῶν τὴν διακονίαν φύλαξον, καὶ βαθμοὺς ἀγαθοὺς περιποίησαι, ἵνα εὕρωμεν ἔλεον καὶ χάριν μετὰ πάντων τῶν ἁγίων τῶν ἀπ' αἰῶνός σοι εὐαρεστησάντων κατὰ γενεὰν καὶ γενεὰν, προπατόρων, πατέρων, πατριαρχῶν, προφητῶν, ἀποστόλων, μαρτύρων, ὁμολογητῶν, διδασκάλων, ὁσίων, καὶ παντὸς πνεύματος δικαίου ἐν πίστει τοῦ Χριστοῦ σου τετελειωμένου.

Χαῖρε κεχαριτωμένη Μαρία· ὁ κύριος μετὰ σοῦ· εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶ, καὶ εὐλογημένος ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας σου, ὅτι σωτῆρα ἔτεκες τῶν ψυχῶν ἡμῶν.

Εἶτα ἐκφωνεῖ ὁ ἱερεύς.

Ἐξαιρέτως τῆς παναγίας, ἀχράντου, ὑπερευλογημένης, ἐνδόξου, δεσποίνης ἡμῶν, θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας.

Οἱ ψάλται. Ἄξιόν ἐστιν ὡς ἀληθῶς μακαρίζειν σε τὴν θεοτόκον, τὴν ἀειμακάριστον καὶ παναμώμητον, καὶ μητέρα τοῦ θεοῦ ἡμῶν, τὴν τιμιωτέραν τῶν χερουβὶμ, καὶ ἐνδοξοτέραν ἀσυγκρίτως τῶν σεραφὶμ, τὴν ἀδιαφθόρως θεὸν λόγον τεκοῦσαν, τὴν ὄντως θεοτόκον σὲ μεγαλύνομεν.

Καὶ πάλιν ψαλλοῦσιν.

Ἐπὶ σοὶ χαίρει κεχαριτωμένη πᾶσα ἡ κτίσις, ἀγγέλων τὸ σύστημα καὶ ἀνθρώπων τὸ γένος, ἡγιασμένε ναὲ, καὶ παράδεισε λογικὲ, παρθενικὸν καύχημα, ἐξ ἧς θεὸς ἐσαρκώθη, καὶ παιδίον γέγονεν ὁ πρὸ αἰώνων ὑπάρχων θεὸς ἡμῶν. Τὴν γὰρ σὴν μήτραν θρόνον ἐποίησε, καὶ τὴν σὴν γαστέρα πλατυτέραν οὐρανῶν ἀπειργάσατο. Ἐπὶ σοὶ χαίρει κεχαριτωμένη, πᾶσα ἡ κτίσις. Δόξα σοι.

Οἱ διάκονοι. Μνήσθητι κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν.

Ὁ ἱερεὺς ἐπικλινόμενος λέγει. Μνήσθητι κύριε ὁ θεὸς τῶν πνευμάτων καὶ πάσης σαρκὸς, ὧν ἐμνήσθημεν καὶ ὧν οὐκ ἐμνήσθημεν, ὀρθοδόξων, ἀπὸ Ἄβελ τοῦ δικαίου μέχρι τῆς σήμερον ἡμέρας· αὐτὸς ἐκεῖ αὐτοὺς ἀνάπαυσον, ἐν χώρᾳ ζώντων, ἐν τῇ βασιλείᾳ σου, ἐν τῇ τρυφῇ τοῦ παραδείσου, ἐν τοῖς κόλποις Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ, τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν· ὅθεν ἀπέδρα ὀδύνη, λύπη καὶ στεναγμός· ἔνθα ἐπισκοπεῖ τὸ φῶς τοῦ προσώπου σου, καὶ καταλάμπει διὰ παντός. Ἡμῶν δὲ τὰ τέλη τῆς ζωῆς, Χριστιανὰ καὶ εὐάρεστα, καὶ ἀναμάρτητα, ἐν εἰρήνῃ κατεύθυνον κύριε κύριε, ἐπισυνάγων ἡμᾶς ὑπὸ τοὺς πόδας τῶν ἐκλεκτῶν σου, ὅτε θέλεις καὶ ὡς θέλεις. Μόνον, χωρὶς αἰχύνης καὶ παραπτωμάτων, διὰ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, κυρίου δὲ καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· αὐτὸς γάρ ἐστιν ὁ μόνος ἀναμάρτητος φανεὶς ἐπὶ τῆς γῆς.

Ὁ διάκονος. Καὶ ὑπὲρ εἰρήνης καὶ εὐσταθείας παντὸς κόσμου, καὶ τῶν ἁγίων τοῦ θεοῦ ἐκκλησιῶν, καὶ ὑπὲρ ὧν ἕκαστος προσήνεγκεν, ἢ κατὰ διάνοιαν ἔχει. Καὶ τοῦ περιεστῶτος λαοῦ, καὶ πάντων καὶ πασῶν.

Ὁ λαὸς. Καὶ πάντων καὶ πασῶν.

Ὁ ἱερεὺς ἐκφωνεῖ. Δι' ὧν καὶ ἡμῖν καὶ αὐτοῖς ὡς ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος.

Ὁ λαὸς. Ἄνες, ἄφες, συγχώρησον ὁ θεὸς τὰ παραπτώματα ἡμῶν, τὰ ἑκούσια, τὰ ἀκούσια· τὰ ἐν ἔργῳ, καὶ λόγῳ· τὰ ἐν γνώσει, καὶ ἀγνοίᾳ· τὰ ἐν νυκτὶ, καὶ ἐν ἡμέρᾳ· τὰ κατὰ νοῦν, καὶ διάνοιαν· τὰ πάντα ἡμῖν συγχώρησον, ὡς ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος.

Ὁ ἱερεύς. Χάριτι καὶ οἰκτιρμοῖς καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, μεθ' οὗ εὐλογητὸς εἶ καὶ δεδοξασμένος, σὺν τῷ παναγίῳ καὶ ἀγαθῷ καὶ ζωοποιῷ σου πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας.

Ὁ λαός. Ἀμήν.

Ὁ ἱερεύς. Εἰρήνη πᾶσιν.

Ὁ λαός. Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Ὁ διάκονος. Ἔτι καὶ διὰ παντὸς ἐν εἰρήνῃ τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. Ὑπὲρ τῶν προσκομισθέντων καὶ ἁγιασθέντων τιμίων, ἐπουρανίων, ἀῤῥήτων, ἀχράντων, ἐνδόξων, φοβερῶν, φρικτῶν, θείων δώρων κυρίῳ τῷ θεῷ, δεηθῶμεν. Ὅπως κύριος ὁ θεὸς ἡμῶν ὁ προσδεξάμενος αὐτὰ εἰς τὸ ἅγιον καὶ ὑπερουράνιον, νοερὸν καὶ πνευματικὸν αὐτοῦ θυσιαστήριον εἰς ὀσμὴν εὐωδίας πνευματικῆς, ἀντικαταπέμψῃ ἡμῖν τὴν θείαν χάριν καὶ τὴν δωρεὰν τοῦ παναγίου πνεύματος, δεηθῶμεν. Τὴν ἑνότητα τῆς πίστεως, καὶ τὴν κοινωνίαν τοῦ παναγίου αὐτοῦ καὶ προσκυνητοῦ πνεύματος αἰτησάμενοι, ἑαυτοὺς καὶ ἀλλήλους καὶ πᾶσαν τὴν ζωὴν ἡμῶν Χριστῷ τῷ θεῷ παραθώμεθα.

Ὁ λαός. Ἀμήν.

Ὁ ἱερεὺς ἐπεύχεται.

Ὁ θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ μεγαλώνυμος κύριος, ἡ μακαρία φύσις, ἡ ἄφθονος ἀγαθότης, ὁ πάντων θεὸς καὶ δεσπότης, ὁ ὢν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ὁ καθήμενος ἐπὶ τῶν χερουβὶμ, καὶ δοξαζόμενος ὑπὸ τῶν σεραφὶμ, ᾧ παρεστήκασι χίλιαι χιλιάδες καὶ μύριαι μυριάδες ἁγίων ἀγγέλων καὶ ἀρχαγγέλων στρατιαὶ, τὰ μὲν προσενεχθέντα σοι δῶρα, δόματα, καρπώματα, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας πνευματικῆς, προσεδέξω, καὶ ἁγιάσαι καὶ τελειῶσαι κατηξίωσας ἀγαθὲ, τῇ χάριτι τοῦ Χριστοῦ σου καὶ τῇ ἐπιφοιτήσει τοῦ παναγίου σου πνεύματος· ἁγίασον δέσποτα καὶ τὰς ἡμετέρας ψυχὰς καὶ σώματα καὶ τὰ πνεύματα, καὶ ψηλάφησον τὰς διανοίας, καὶ ἀνάκρινον τὰς συνειδήσεις, καὶ ἔκβαλον ἀφ' ἡμῶν πᾶσαν ἔννοιαν πονηρὰν, πάντα λογισμὸν ἀσελγῆ, πᾶσαν ἐπιθυμίαν αἰσχρὰν, πάντα λογισμὸν ἀπρεπῆ, πάντα φθόνον καὶ τῦφον, καὶ ὑπόκρισιν· πᾶν ψεῦδος, πάντα δόλον, πάντα περισπασμὸν

βιωτικὸν, πᾶσαν πλεονεξίαν, πᾶσαν κενοδοξίαν, πᾶσαν ῥαθυμίαν, πᾶσαν κακίαν, πάντα θυμὸν, πᾶσαν ὀργὴν, πᾶσαν μνησικακίαν, πᾶσαν βλασφημίαν, πᾶσαν κίνησιν σαρκός τε καὶ πνεύματος ἀπηλλοτριωμένην τοῦ θελήματος τῆς ἁγιότητός σου.

Ἐκφώνησις. Καὶ καταξίωσον ἡμᾶς δέσποτα φιλάνθρωπε μετὰ παῤῥησίας ἀκατακρίτως, ἐν καθαρᾷ καρδίᾳ, ψυχῇ συντετριμμένῃ, ἀνεπαισχύντῳ προσώπῳ, ἡγιασμένοις χείλεσι, τολμᾷν ἐπικαλεῖσθαι σε τὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς ἅγιον θεὸν πατέρα, καὶ λέγειν.

Ὁ λαὸς. Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου· καὶ τὰ ἑξῆς.

Ὁ ἱερεὺς ἐπικλινόμενος λέγει.

Καὶ μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμὸν κύριε κύριε τῶν δυνάμεων, ὁ εἰδὼς τὴν ἀσθένειαν ἡμῶν ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ καὶ τῶν ἔργων αὐτοῦ, πάσης ἐπηρείας καὶ μεθοδείας αὐτοῦ, διὰ τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον, τὸ ἐπικληθὲν ἐπὶ τὴν ἡμετέραν ταπείνωσιν.

Ἐκφώνησις. Ὅτι σου ἐστὶν ἡ βασιλεία καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα, τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεί.

Ὁ λαὸς. Ἀμήν.

Ὁ ἱερεὺς. Εἰρήνη πᾶσιν.

Ὁ λαὸς. Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Ὁ διάκονος. Τὰς κεφαλὰς ἡμῶν τῷ κυρίῳ κλίνωμεν.

Ὁ λαὸς. Σοὶ κύριε.

Ὁ ἱερεὺς ἐπεύχεται λέγων οὕτω.

Σοὶ ἐκλίναμεν οἱ δοῦλοί σου κύριε τοὺς ἡμετέρους αυχενας ἐνώπιον τοῦ ἁγίου σου θυσιαστηρίου, ἀπεκδεχόμενοι τὰ παρὰ σοῦ πλούσια ἐλέη. Πλουσίαν τὴν χάριν σου καὶ τὴν εὐλογίαν σου ἐξαπόστειλον ἡμῖν δέσποτα, καὶ ἁγίασον τὰς ψυχὰς ἡμῶν, καὶ τὰ σώματα καὶ τὰ πνεύματα, ἵνα ἄξιοι γενώμεθα κοινωνοὶ καὶ μέτοχοι γενέσθαι τῶν ἁγίων σου μυστηρίων, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον.

Ἐκφώνησις. Σὺ γὰρ προσκυνητὸς καὶ δεδοξασμένος ὑπάρχεις ὁ θεὸς ἡμῶν, καὶ ὁ μονογενὴς σου υἱὸς, καὶ τὸ πνεῦμα σου τὸ πανάγιον, νῦν καὶ ἀεί.

Ὁ λαός. Ἀμήν.

Ὁ ἱερεὺς ἐκφωνεῖ. Καὶ ἔσται ἡ χάρις καὶ τὰ ἐλέη τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου καὶ ἀκτίστου καὶ προσκυνητῆς τριάδος, μετὰ πάντων ἡμῶν.

Ὁ λαός. Καὶ μετὰ τοῦ πνεύματός σου.

Ὁ διάκονος. Μετὰ φόβου θεοῦ πρόσχωμεν.

Ὁ ἱερεὺς ὕψων τὸ δῶρον λέγει καθ' ἑαυτόν.

Ἅγιε ὁ ἐν ἁγίοις ἀναπαυόμενος κύριε, ἁγίασον ἡμᾶς τῷ λόγῳ τῆς σῆς χάριτος, καὶ τῇ ἐπιφοιτήσει τοῦ παναγίου σου πνεύματος· σὺ γὰρ εἶπας δέσποτα, ἅγιοι ἔσεσθε, ὅτι ἐγὼ ἅγιός εἰμι. Κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν ἀκατάληπτε θεοῦ λόγε, τῷ πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι ὁμοούσιε, συναΐδιε καὶ ἀχώριστε, πρόσδεξαι τὸν ἀκήρατον ὕμνον ἐν ταῖς ἁγίαις καὶ ἀναιμάκτοις σου θυσίαις, σὺν τοῖς χερουβὶμ καὶ σεραφὶμ, καὶ παρ' ἐμοῦ τοῦ ἁμαρτωλοῦ βοῶντος καὶ λέγοντος.

Ἐκφώνησις. Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις.

Ὁ λαός. Εἷς ἅγιος, εἷς κύριος, Ἰησοῦς Χριστὸς, εἰς δόξαν θεοῦ πατρὸς, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Ὁ διάκονος. Ὑπὲρ ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, καὶ ἱλασμοῦ τῶν ψυχῶν ἡμῶν, καὶ ὑπὲρ πάσης ψυχῆς θλιβομένης τε καὶ καταπονουμένης, ἐλέους καὶ βοηθείας θεοῦ ἐπιδεομένης, καὶ ἐπιστροφῆς τῶν πεπλανημένων, ἰάσεως τῶν ἀσθενούντων. Ἀναῤῥύσεως τῶν αἰχμαλώτων, ἀναπαύσεως τῶν προκεκοιμημένων πατέρων τε καὶ ἀδελφῶν ἡμῶν, πάντες ἐκτενῶς εἴπωμεν, κύριε ἐλέησον.

Ὁ λαός. Κύριε ἐλέησον. Δωδεκάκις.

Εἶτα κλᾷ τὸν ἄρτον ὁ ἱερεὺς, καὶ κρατεῖ τῇ δεξιᾷ τὸ ἥμισυ, καὶ τῇ ἀριστερᾷ τὸ ἥμισυ, καὶ βάπτει τὸ τῆς δεξιᾶς ἐν τῷ κρατῆρι, λέγων.

Ἕνωσις τοῦ παναγίου σώματος καὶ τοῦ τιμίου αἵματος τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Καὶ σφραγίζει τὸ τῆς ἀριστερᾶς. Εἶτα τούτῳ τῷ ἐσφραγισμένῳ, τὸ ἄλλο ἥμισυ. Καὶ εὐθέως ἄρχεται μελίζειν, καὶ πρὸ πάντων διδόναι εἰς ἕκαστον κρατῆρα ἁπλῆν, λέγων.

Ἥνωται καὶ ἡγίασται καὶ τετελείωται εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς

καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεί.

Καὶ ὅταν σφραγίζῃ τὸν ἄρτον, λέγει.

Ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ ὁ υἱὸς τοῦ πατρὸς, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, σφαγιασθεὶς ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς καὶ σωτηρίας.

Καὶ ὅταν διδῷ μερίδα ἁπλῆν εἰς ἕκαστον κρατῆρα, λέγει.

Μερὶς ἁγία Χριστοῦ, πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας, πατρὸς καὶ ἁγίου πνεύματος, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Εἶτα ἄρχεται μελίζειν καὶ λέγειν.

Κύριος ποιμαίνει με, καὶ οὐδέν με ὑστερίσει, εἰς τόπον χλόης, καὶ τὰ ἑξῆς τοῦ ψαλμοῦ.

Εἶτα. Εὐλογήσω τὸν κύριον ἐν παντὶ καιρῷ. Καὶ τὰ ἑξῆς.

Εἶτα. Ὑψώσω σε ὁ θεός μου ὁ βασιλεύς. Καὶ τὰ ἑξῆς.

Εἶτα. Αἰνεῖτε τὸν κύριον πάντα τὰ ἔθνη. Καὶ τὰ ἑξῆς.

Ὁ διάκονος. Κύριε εὐλόγησον.

Ὁ ἱερεύς. Ὁ κύριος εὐλογήσει καὶ ἀκατακρίτους ἡμᾶς διατηρήσει ἐπὶ τῇ μεταλήψει τῶν ἀχράντων αὐτοῦ δωρεῶν, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας.

Καὶ ὅταν πληρώσωσι, λέγει διάκονος. Κύριε εὐλόγησον.

Ὁ ἱερεὺς λέγει.

Ὁ κύριος εὐλογήσει καὶ ἀξιώσει ἡμᾶς ἁγναῖς ταῖς τῶν δακτύλων λαβαῖς, λαβεῖν τὸν πύρινον ἄνθρακα, καὶ ἐπιθεῖναι τοῖς τῶν πιστῶν στόμασιν, εἰς καθαρισμὸν καὶ ἀνακαινισμὸν τῶν ψυχῶν αὐτῶν καὶ τῶν σωμάτων, νῦν καὶ ἀεί.

Εἶτα. Γεύσασθε καὶ ἴδετε ὅτι Χρηστὸς ὁ κύριος, ὁ μελιζόμενος καὶ μὴ μεριζόμενος, καὶ τοῖς πιστοῖς μεταδιδόμενος καὶ μὴ δαπανώμενος, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ ζωὴν αἰώνιον, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας.

Ὁ διάκονος. Ἐν εἰρήνῃ Χριστοῦ ψάλλωμεν.

Οἱ ψάλται. Γεύσασθε καὶ ἴδετε ὅτι χρηστὸς ὁ κύριος.

Ὁ ἱερεὺς λέγει εὐχὴν πρὸ τῆς μεταλήψεως.

Κύριος ὁ θεὸς ἡμῶν ὁ οὐράνιος ἄρτος, ἡ ζωὴ τοῦ παντὸς, ἥμαρτον εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ ἐνώπιόν σου, καὶ οὐκ εἰμὶ ἄξιος μεταλαβεῖν τῶν ἀχράντων σου μυστηρίων, ἀλλ᾽ ὡς εὔσπλαγχνος θεὸς ἀξίωσόν με τῇ χάριτί σου ἀκατακρίτως μετασχεῖν τοῦ ἁγίου

σώματος καὶ τοῦ τιμίου αἵματος εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ ζωὴν αἰώνιον.

Εἶτα μεταδίδωσι τῷ κλήρῳ. Ὅτε δὲ ἐπαίρουσιν οἱ διάκονοι τοὺς δίσκους καὶ τοὺς κρατῆρας εἰς τὸ μεταδοῦναι τῷ λαῷ, λέγει ὁ διάκονος αἴρων τὸν πρῶτον δίσκον.

Κύριε εὐλόγησον.

Ἀποκρίνεται ὁ ἱερεύς.

Δόξα τῷ θεῷ ἁγιάσαντι καὶ ἁγιάζοντι πάντας ἡμᾶς.

Λέγει ὁ Διάκονος. Ὑψώθητι ἐπὶ τοὺς οὐρανοὺς ὁ θεὸς καὶ ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν ἡ δόξα σου, καὶ ἡ βασιλεία σου διαμένει εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Καὶ ὅτε μελλει ὁ διάκονος τιθέναι εἰς τὸ παρατράπεζον, λέγει ὁ ἱερεύς.

Εὐλογητὸν τὸ ὄνομα κυρίου τοῦ θεοῦ ἡμῶν, εἰς τοὺς αἰῶνας.

Ὁ διάκονος. Μετὰ φόβου θεοῦ καὶ πίστεως καὶ ἀγάπης προσέλθετε.

Ὁ λαὸς. Εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου.

Καὶ πάλιν ὅτε ἐπαίρει τὸν δίσκον ἀπὸ τοῦ παρατραπέζου, λέγει. Κύριε εὐλόγησον.

Ὁ ἱερεὺς. Σῶσον ὁ θεὸς τὸν λαόν σου, καὶ εὐλόγησον τὴν κληρονομίαν σου.

Ὁ ἱερεὺς πάλιν. Δόξα τῷ θεῷ ἡμῶν τῷ ἁγιάσαντι πάντας ἡμᾶς.

Καὶ ὅταν ἀπόθηται τὸ ποτήριον εἰς τὴν ἁγίαν τράπεζαν, λέγει ὁ ἱερεύς.

Εἴη τὸ ὄνομα κυρίου εὐλογημένον εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Λέγουσιν οἱ διάκονοι καὶ ὁ λαός.

Πλήρωσον τὸ στόμα ἡμῶν αἰνέσεώς σου κύριε, καὶ χαρᾶς ἔμπλησον τὰ χείλη ἡμῶν, ὅπως ἀνυμνήσωμεν τὴν δόξαν σου, ὅλην τὴν ἡμέραν τὴν μεγαλοπρέπειάν σου.

Καὶ πάλιν. Εὐχαριστοῦμέν σοι Χριστὲ ὁ θεὸς ἡμῶν, ὅτι ἠξίωσας ἡμᾶς μετασχεῖν τοῦ σώματος καὶ αἵματός σου, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον· ἀκατακρίτους ἡμᾶς φύλαξον, δεόμεθα, ὡς ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος.

Εὐχὴ θυμιάματος εἰς τὴν ἐσχάτην εἴσοδον.

Εὐχαριστοῦμέν σοι τῷ σωτῆρι τῶν ὅλων θεῷ ἐπὶ πᾶσιν οἷς παρέσχου ἡμῖν ἀγαθοῖς, καὶ ἐπὶ τῇ μεταλήψει τῶν ἁγίων καὶ ἀχράντων σου μυστηρίων, καὶ προσφέρομέν σοι τὸ θυμίαμα τοῦτο, δεόμενοι, φύλαξον ἡμᾶς ὑπὸ τὴν σκέπην τῶν πτερύγων σου, καὶ καταξίωσον ἡμᾶς μέχρι τῆς ἐσχάτης ἡμῶν ἀναπνοῆς, μετέχειν τῶν ἁγιασμάτων σου, εἰς ἁγιασμὸν ψυχῶν καὶ σωμάτων, εἰς βασιλείας οὐρανῶν κληρονομίαν· ὅτι σὺ εἶ ὁ ἁγιασμὸς ἡμῶν ὁ θεὸς, καὶ σοὶ τὴν δόξαν καὶ τὴν εὐχαριστίαν ἀναπέμπομεν, τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι.

Καὶ ἄρχεται ὁ διάκονος ἐν τῇ εἰσόδῳ.

Δόξα σοι, δόξα σοι, δόξα σοι, Χριστὲ βασιλεῦ, μονογενὲς λόγε λόγε τοῦ πατρὸς, ὅτι κατηξίωσας ἡμᾶς τοὺς ἁμαρτωλοὺς καὶ ἀναξίους δούλους σου ἐν ἀπολαύσει γενέσθαι τῶν ἀχράντων σου μυστηρίων, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον. Δόξα σοι.

Καὶ ὅταν ποιήσῃ τὴν εἴσοδον, ἄρχεται λέγειν ὁ διάκονος οὕτως.

Ἔτι καὶ ἔτι καὶ διὰ παντὸς ἐν εἰρήνῃ τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. Ὅπως γένηται ἡμῖν ἡ μετάληψις τῶν ἁγιασμάτων αὐτοῦ εἰς ἀποτροπὴν παντὸς πονηροῦ πράγματος, εἰς ἐφόδιον ζωῆς αἰωνίου, εἰς κοινωνίαν καὶ δωρεὰν τοῦ ἁγίου πνεύματος, δεηθῶμεν.

Ὁ ἱερεὺς εὔχεται. Τῆς παναγίας, ἀχράντου, ὑπερενδόξου, εὐλογημένης δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀει παρθένου Μαρίας, καὶ πάντων τῶν ἁγίων τῶν ἀπ' αἰῶνός σοι εὐαρεστησάντων μνημονεύσαντες, ἑαυτοὺς καὶ ἀλλήλους, καὶ πᾶσαν τὴν ζωὴν ἡμῶν Χριστῷ τῷ θεῷ παραθώμεθα.

Ὁ λαὸς. Σοὶ κύριε.

Ὁ ἱερεὺς. Ὁ θεὸς ὁ διὰ πολλὴν καὶ ἄφατον φιλανθρωπίαν συγκαταβὰς τῇ ἀσθενείᾳ τῶν δούλων σου, καὶ καταξιώσας ἡμᾶς μετασχεῖν ταύτης τῆς ἐπουρανίου τραπέζης, μὴ κατακρίνῃς ἡμᾶς τοὺς ἁμαρτωλοὺς ἐπὶ τῇ μεταλήψει τῶν ἀχράντων σου μυστηρίων, ἀλλὰ φύλαξον ἡμᾶς ἀγαθὲ, ἐν ἁγιασμῷ τοῦ ἁγίου σου πνεύματος, ἵνα ἅγιοι γενόμενοι, εὕρωμεν μέρος καὶ κληρονομίαν μετὰ πάντων τῶν ἁγίων τῶν ἀπ' αἰῶνός σοι εὐαρεστησάντων, ἐν

τῷ φωτὶ τοῦ προσώπου σου, διὰ τῶν οἰκτιρμῶν τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, κυρίου δὲ καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, μεθ' οὗ εὐλογητὸς εἶ σὺν τῷ παναγίῳ καὶ ἀγαθῷ καὶ ζωοποιῷ σου πνεύματι. Ὅτι ηὐλόγηται καὶ δεδόξασται τὸ πάντιμον καὶ μεγαλοπρεπὲς ὄνομά σου, τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Ὁ λαός. Ἀμήν.

Ὁ ἱερεύς. Εἰρήνη πᾶσιν.

Ὁ λαός. Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Ὁ διακονός. Τὰς κεφαλὰς ἡμῶν τῷ κυρίῳ κλίνωμεν.

Ὁ ἱερεύς. Ὁ θεὸς ὁ μέγας καὶ θαυμαστὸς ἔπιδε ἐπὶ τοὺς δούλους σου, ὅτι σοὶ τοὺς αὐχένας ἐκλιναμεν. Ἔκτεινον τὴν χεῖρά σου τὴν κραταιὰν καὶ πλήρη εὐλογιῶν, καὶ εὐλόγησον τὸν λαόν σου. Διαφύλαξον τὴν κληρονομίαν σου, ἵνα ἀεὶ καὶ διὰ παντὸς δοξάζωμεν σὲ τὸν μόνον ζῶντα καὶ ἀληθινὸν θεὸν ἡμῶν, τὴν ἁγίαν καὶ ὁμοούσιον τριάδα, πατέρα καὶ υἱὸν καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Ἐκφώνησις. Σοὶ γὰρ πρέπει καὶ ἐποφείλεται ἡ παρὰ πάντων ἡμῶν δοξολογία, τιμὴ καὶ προσκύνησις καὶ εὐχαριστία, τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεί.

Ὁ λαός. Ἀμήν.

Ὁ διάκονος. Ἐν εἰρήνῃ Χριστοῦ ψάλλωμεν.

Καὶ πάλιν λέγει. Ἐν εἰρήνῃ Χριστοῦ πορευθῶμεν.

Ὁ λαός. Ἐν ὀνόματι κυρίου κύριε εὐλόγησον.

Εὐχὴ ἀπολυτίκη λεγομένη παρὰ τοῦ διακόνου.

Ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν πορευόμενοι, σὲ ὑμνοῦμεν τὸν σωτῆρα τῶν ψυχῶν ἡμῶν. Δόξα πατρὶ καὶ υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας, σὲ ὑμνοῦμεν τὸν σωτῆρα τῶν ψυχῶν ἡμῶν.

Ὁ ἱερεὺς λέγει εὐχὴν ἀπὸ τοῦ θυσιαστηρίου μέχρι τοῦ σκευοφυλακίου.

Ἐκ δυνάμεως εἰς δύναμιν πορευόμενοι, καὶ πᾶσαν τὴν ἐν τῷ ναῷ σου πληρώσαντες θείαν λειτουργίαν, καὶ νῦν δεόμεθά σου κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν, τελείας φιλανθρωπίας ἀξίωσον ἡμᾶς. Ὀρθοτόμησον τὴν ὁδὸν ἡμῶν· ῥίζωσον ἡμᾶς ἐν τῷ φόβῳ σου, καὶ

τῆς ἐπουρανίου βασιλείας ἀξίωσον, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, μεθ' οὗ εὐλογητὸς εἶ σὺν τῷ παναγίῳ καὶ ἀγαθῷ καὶ ζωοποιῷ σου πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας.

Ὁ διάκονος. Ἔτι καὶ ἔτι καὶ διὰ παντὸς ἐν εἰρήνῃ τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Εὐχὴ λεγομένη ἐν τῷ σκευοφυλακίῳ μετὰ τὴν ἀπόλυσιν.

Ἔδωκας ἡμῖν δέσποτα τὸν ἁγιασμὸν ἐν τῇ μετουσίᾳ τοῦ παναγίου σώματος καὶ τοῦ τιμίου αἵματος τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, κυρίου δε ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δὸς ἡμῖν καὶ τὴν χάριν τοῦ πνεύματός σου τοῦ ἀγαθοῦ, καὶ φύλαξον ἡμᾶς ἀμώμους ἐν τῇ πίστει· ὁδήγησον ἡμᾶς εἰς τελείαν υἱοθεσίαν καὶ ἀπολύτρωσιν, καὶ εἰς τὰς μελλούσας αἰωνίους ἀπολαύσεις· σὺ γὰρ εἶ ὁ ἁγιασμὸς καὶ φωτισμὸς ἡμῶν ὁ θεὸς, καὶ ὁ μονογενής σου υἱὸς, καὶ τὸ πνεῦμά σου πανάγιον, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

Ὁ διάκονος. Ἐν εἰρήνῃ Χριστοῦ διαφυλαχθῶμεν.

Ὁ ἱερεύς. Ηὐλόγηται ὁ θεὸς ὁ εὐλογῶν καὶ ἁγιάζων διὰ τῆς μεταλήψεως τῶν ἁγίων καὶ ζωοποιῶν καὶ ἀχράντων μυστηρίων, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

Εἶτα εὐχὴ τοῦ ἱλασμοῦ.

Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ υἱὲ τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος, ἀμνὲ καὶ ποιμὴν ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ὁ τὸ δάνειον τοῖς δυσὶ χρεωφειλέταις χαρισάμενος, καὶ τῇ ἁμαρτωλῷ τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῆς δοὺς, ὁ τὴν ἴασιν τῷ παραλυτικῷ, δωρησάμενος, σὺν τῇ ἀφέσει τῶν ἁμαρτιῶν αὐτοῦ, ἄνες, ἄφες, συγχώρησον ὁ θεὸς τὰ πλημμελήματα ἡμῶν τὰ ἑκούσια, τὰ ἀκούσια· τὰ ἐν γνώσει, τὰ ἐν ἀγνοίᾳ, τὰ ἐν παραβάσει καὶ παρακοῇ γενόμενα, ἃ οἶδε τὸ πνεῦμά σου τὸ πανάγιον ὑπὲρ τοὺς δούλους σου. Καὶ εἴ τι τῶν ἐντολῶν σου ὡς ἄνθρωποι σάρκα φοροῦντες, καὶ τὸν κόσμον τοῦτον οἰκοῦντες, ἢ ἐκ τοῦ διαβόλου ἐπλανήθηθαν, εἴτε ἐν λόγῳ, ἢ ἐν ἔργῳ· εἴτε ὑπὸ κατάραν ὑπέπεσαν, ἢ τῷ ἰδίῳ ἀναθέματι, παρακαλῶ καὶ δέομαι τὴν ἄφατόν σου φιλανθρωπίαν, τῷ μὲν λόγῳ λυθῆναι· συγχωρηθῆναι δὲ αὐτοῖς τῷ ὅρκῳ καὶ τῷ ἰδίῳ ἀναθέματι κατὰ τὴν σὴν ἀγαθότητα. Ναὶ δέσποτα κύριε εἰσάκουσον τῆς δεήσεώς μου ὑπὲρ τῶν δούλων σου, καὶ πάριδε ὡς ἀμνησίκακος τὰ ἐπταισμένα αὐτῶν ἅπαντα· συγχώρησον αὐτοῖς πᾶν

πλημμέλημα ἑκούσιόν τε καὶ ἀκούσιον· ἀπάλλαξον αὐτοὺς τῆς αἰωνίου κολάσεως. Σὺ γὰρ εἶ ὁ ἐντειλάμενος ἡμῖν λέγων, ὅτι, ὅσα ἂν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα ἐν τοῖς οὐρανοῖς· καὶ ὅσα ἂν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένα ἐν τοῖς οὐρανοῖς· ὅτι σὺ εἶ ὁ θεὸς ἡμῶν, θεὸς τοῦ ἐλεεῖν καὶ σώζειν καὶ ἀφιέναι ἁμαρτίας δυνάμενος, καὶ πρέπει σοι ἡ δόξα σὺν τῷ ἀνάρχῳ πατρὶ καὶ τῷ ζωοποιῷ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

NOTES TO

CODEX APOCRYPHUS NOVI TESTAMENTI

NOTES TO

CODEX APOCRYPHUS NOVI TESTAMENTI

WITH NOTICES AND FRAGMENTS

OF OTHER UNCANONICAL WRITINGS.

I. HISTORIA JOSEPHI, FABRI LIGNARII, ARABICE.

This work was first printed, from a manuscript [Arab. No 104], preserved in the King's (now the National) library at Paris, with a Latin version and notes by George Wallin, Lips. 1722. The Latin version was afterwards printed by Fabricius in the 2nd volume of his Codex Pseudepigraphus Veteris Testamenti, pp. 309—336. Both the Arabic original and the Latin version were given by Thilo in his Codex &c. pp. 62, and from his text the Arabic has been copied in this work.

A fragment of another MS. of the Historia Josephi &c. consisting of eight leaves only, is described in Zoega's "Catalogus Codd. Copticorum MSS. qui in Museo Borgiano Velitris adservantur, Romæ, a. 1810," p. 225; among the Sahidic MSS. No 121. The following observations respecting it are extracted from Thilo's Preface.

—Auctor libri judice Zoega ad Gnosticorum somnia ablegandi fingit Jesum narrare apostolis suis, quæ in morte Josephi patris sui evenere. "Hæc, inquit, est summa vitæ dilecti patris mei Josephi: annos natus XL, uxorem duxit, cum qua vixit annis IX (scrib.

XLIX.) Post mortem ejus annum unum viduus mansit, duobus autem annis in domo ejus vixit mater mea, antequam ipsi nuberet; siquidem a sacerdotibus eam custodire jussus erat usque ad tempus nuptiarum. Peperit autem me Maria mater mea initio anni tertii, quo fuit in domo Josephi, anno ætatis XV. Genuit me Maria mater mea in spelunca quam nec nominare licet nec quærere, neque est in tota creatione homo qui eam noverit, præter me et patrem meum et spiritum sanctum. Omnes autem dies patris mei Josephi benedictæ senectutis sunt anni CXI secundum voluntatem patris mei. Dies mortis ejus est XXVI mensis Epep." Josephus ægrotans in Nazareth terrore et luctu afficitur, exclamatque super peccatis suis. Venit Jesus eum consolaturus. Supplicat Joseph Jesum, dominum suum appellans, regem verum, salvatorem, redemptorem, deum verum et perfectum; veniamque petit, quod aliquando cogitasset de matre ejus domo pellenda, donec ab angelo certior factus de conceptione ejus e Spiritu sancto; pariterque quod olim ipse Jesum puerum, qui parvulum a ceraste morsum in vitam revocaverat, dextra aure traxisset, monens ut ab operibus invidiam sibi conflantibus abstineret. Hæc audiens Jesus plorat, secum reputans amaritudinem mortis, et diem quando Judæi eum pro salute totius mundi in crucem essent sublaturi. Mox vocat matrem suam, considuntque ipse ad caput, illa ad pedes Josephi agonizantis. Advocat etiam filios filiasque Josephi, in quibus natu maxima Lysia purpuraria. Omnes flent super patre moribundo. "Tunc respexi ad latus portæ meridionale et vidi Mortem, quam comitabantur Orcus consiliarius et Diabolus veterator ab initio, cum innumeris Decanorum monstris igne indutis oreque sulphur et flammas spirantibus." His terrefacta anima Josephi exclamat et quærit refugium. Jesus expellit Orcum et comites. Mors timore perculsa pone portam se abscondit. Jesus invocat patrem suum cœlestem, ut mittat Michaelem et Gabrielem cum choro angelorum, qui custodiant animam Josephi et conducant per VII æonas tenebrarum et vias caliginosas juxta flumen igneum et locum carnificum. Veniunt angeli. "Surrexi portamque egressus inveni Mortem solitarie sedentem in magno timore. Et dixi ei: O tu

quæ venisti a plaga meridionali, ingredere statim et perfice quæ pater meus tibi præcepit. Sed custodi Josephum ut lucem oculorum tuorum: nam ille est pater meus secundum carnem.—Tunc Abbaton (scr. Abaddon) intravit et sumsit animam patris mei Josephi et emisit eam e corpore.—Michael autem apprehendit lacinias duas mappæ holosericæ, Gabriel reliquas lacinias duas; et amplexi animam patris mei Josephi deposuerunt eam in mappa. Et præcepi eis, ut eam custodirent a furibus in viis, et jussi angelos hymnos canere ei, donec recepta esset in cœlum." Ejusdem codicis Sahidici, ex quo Zoega hæc partim ad verbum reddidit, partim excerpsit, suspicor esse fragmentum folii unius sub num. CXVI, p. 223, memoratum. Referente Zoega narrat ibi Jesus, quomodo eum concepit Virgo Maria et peperit in Bethlehem prope monumentum Rachelis. Conf. hist. Josephi cap. VII. extr. Vides, ex accuratiori hac, quam dedimus, codicum notitia, quantum lucis capiat historia libelli ipsius literaria.—

The work before us was thought by Wallin to belong to as early a period as the 4th century: but Thilo refers it to a much more modern date.

As very few persons in this country are able to read the original Arabic, the Latin version of Wallin is here subjoined:

IN NOMINE DEI UNIUS IN SUA ESSENTIA, ET TRINI IN SUIS PERSONIS.

HISTORIA MORTIS PATRIS NOSTRI, SANCTI, SENIS JOSEPHI FABRI LIGNARII. BENEDICTIONES EJUS ET PRECES SERVENT NOS OMNES, O FRATRES, AMEN.

Fuit tota ipsius vita centum et undecim annorum, contigitque migratio ejus ex hoc mundo vicesimo sexto (die) mensis Abib, qui respondet mensi Ab. Oratio ejus servet nos. Amen. Et quidem Dominus noster Jesus Christus ille ipse (fuit), qui retulit hanc (historiam) discipulis suis sanctis in monte Oliveti atque omnem laborem ejus (Josephi) et dierum ipsius consummationem. Apostoli autem sancti conservarunt hunc sermonem, et literis consignatum reliquerunt in Bibliotheca Hierosolymis. Oratio eorum servet nos. Amen.

CAP. I.

Contigit una die, quum Salvator, Magister, Deus et Salvator noster Jesus Christus sederet una cum suis discipulis, congregatique in monte Oliveti omnes essent, ut diceret illis: O fratres et amici mei, filii Patris, qui vos elegit de omnibus hominibus. Scitis me vobis sæpius retulisse, quod oporteat me crucifigi et mori propter salutem Adami et posteritatis ejus, et quod surgam de mortuis. Committam autem vobis doctrinam Evangelii sancti, (vobisque antea) nuntiati, ut prædicetis illud per omnem mundum. Et induam vos virtute de alto, ac implebo vos Spiritu Sancto. Annuntiabitis vero cunctis gentibus pœnitentiam et remissionem peccatorum. Nam scyphus aquæ unicus, si eum invenerit homo in seculo futuro, præstantior (est) et major cunctis divitiis hujus totius mundi. Et locus, (quantum occupare potest) pes unus, in domo Patris mei, major (est) et excellentior omnibus opibus terræ. Immo hora unica in læto piorum habitaculo felicior (est) et magis pretiosa mille annis inter peccatores. Quippe fletus eorum et planctus non desinet, et lacrimae eorum non cessabunt, neque invenient sibi solatium vel quietem ullo unquam tempore. Et nunc, membra mea honoranda, ite, prædicate omnibus gentibus, nuntiate et dicite illis: Utique Servator diligenter inquirit in hæreditatem debitam, et (est) administrator justitiæ. Et illi (Angeli) profligabunt (inimicos), et pugnabunt pro illis in die conflictus. Atque ille Deus examinabit unum quodque verbum, quod loquuntur homines ineptum et otiosum, (et) reddent de eo rationem. Quemadmodum enim nemo a morte excludetur, sic uniuscujusque etiam opera patebunt die judicii, sive bona fuerint sive mala. (Nuntiate) quoque hoc verbum, quod dixi vobis hodie: Ne glorietur fortis de fortitudine sua, nec dives de suis divitiis, sed qui gloriari vult, glorietur in Domino.

CAP. II.

Fuit vir, cui nomen Josephus, gente oriundus Bethlehemitica, de urbe Juda et civitate Davidis regis. Hic ipse scientia et doctrinis probe instructus, sacerdos factus est in templo Domini. Calluit præterea artem fabrilem lignariam, et, more cunctorum hominum, uxorem duxit. Genuit quoque sibi filios filiasque, quatuor (nimirum) filios, atque duas filias. Hæc vero sunt eorum nomina: Judas, Justus, Jacobus et Simon. Nomina duarum filiarum (erant) Assia et Lydia. Tandem morte decessit uxor Josephi justi, gloriæ divinæ intenta in omnibus suis operibus. At Josephus, vir iste justus, pater meus secundum carnem (et) sponsus Mariæ matris meæ, abivit una cum suis filiis ad professionem suam, artem exercendo fabri lignarii.

CAP. III.

Quum vero viduus factus fuit Josephus justus, jam impleverat Maria mater mea benedicta, sancta, et pura duodecim annos. Quippe parentes ipsius

obtulerunt eam in templo tres annos natam, mansitque illa in templo Domino novem annos. Tunc, ut viderunt sacerdotes virginem sanctam, (et) timentem Dominum adolescere, se invicem alloquuti sunt, dicentes: Quæramus virum justum, (et) pium, cui committatur Maria usque ad tempus nuptiarum; ne manenti in templo accidat, quod accidere solet mulieribus, eoque nomine peccemus, et succenseat nobis Deus.

CAP. IV.

Proinde, statim emissis (nuntiis), convocarunt duodecim sedes de tribu Juda. Et scripserunt nomina duodecim tribuum Israelis. Cecidit autem sors super senem pium, Josephum justum. Tunc respondentes, dixerunt sacerdotes matri meæ benedictæ: Ito cum Josepho, et esto apud illum usque ad tempus nuptiarum. Accepit ergo Josephus justus matrem meam, eamque abduxit in domum suam. Et invenit (Maria) Jacobum minorem in domo patris sui fractum animo atque mœstum propter orbitatem (matris), et educavit illum. Hinc appellata est Maria mater Jacobi. Deinde relinquens eam Josephus in domo sua, abivit ad officinam, ubi exercetur ars fabrilis lignaria. Postquam vero exegerat sancta virgo in domo ejus biennium, facta est præcise ætas ejus quatuordecim annorum, incluso simul tempore, quo eam recepit (Josephus).

CAP. V.

Dilexi (autem illam peculiari quodam) voluntatis motu, cum beneplacito Patris mei, et consilio Spiritus Sancti. Et incarnatus fui de illa, mysterio creaturarum rationis captum superante. Sed, elapsis a conceptione tribus mensibus, rediit vir justus (Josephus) de loco, ubi artem suam exercuit. Atque, ubi deprehendit virginem matrem meam gravidam, mente conturbatus, cogitavit eam clanculum dimittere. Præ timore etiam, tristitia et pectoris sui angustia nec bibere illo die sustinuit.

CAP. VI.

Sub medio autem die apparuit ipsi angelorum princeps, sanctus Gabriel in somnio, mandato instructus Patris mei. Et dixit illi: Josephe fili David, ne timeas accipere Mariam sponsam tuam. Quippe concepit de Spiritu Sancto, et pariet filium, cujus nomen appellabitur Jesus. Hic ille (est), qui gubernabit omnes gentes sceptro ferreo. (Hæc proloquutus) discessit ab eo angelus. Surrexit vero Josephus de somno suo, et fecit quemadmodum ipsi dixerat angelus Domini. Et permansit Maria apud illum.

CAP. VII.

Interjecto deinde tempore, prodiit mandatum ab Augusto Cæsare (et) Rege ut describeretur universus orbis habilis, unusquisque in sua civitate. Surgens itaque senex justus Josephus, accepit (secum) Mariam virginem. Et venerunt Bethlehemum, quia instabat partus ejus. Inscripsit autem (Josephus) nomen suum catalogo. Nam Josephus filius David, cujus sponsa

(erat) Maria, fuit de tribu Juda. Et quidem Maria mater mea peperit me Cf. Just. M. Dial. c. 78 n. Bethelemi, in spelunca proxima sepulcro Rachel, uxoris Jacobi Patriarchæ, quæ (fuit) mater Josephi et Benjamin.

CAP. VIII.

Sed Satanas ivit, retulitque (hoc) Herodi Magno, patri Archelai. Idemque hic Herodes (erat), qui capite truncari jussit Joannem amicum et cognatum meum. Proinde me diligenter perquisivit, existimans regnum meum fore de hoc mundo. Verum admonitus fuit hac de re Josephus, senex ille pius, per somnium. Ideo surgens, accepit Mariam matrem meam, et ego in ipsius sinu (recubui). Comitem etiam itineris ipsis se præbuit Salome. Profectus ergo domo, in Ægyptum secessit. Permansitque ibi spatium unius integri anni, donec transiit invidia Herodis.

CAP. IX.

Obiit vero Herodes pessimo mortis genere, pœnam luens effusi puerorum sanguinis, quos e medio inique sustulit, quum ipsis non inesset peccatum. Atque, extincto tyranno isto impio Herode, reversi sunt (cum Jesu parentes) in terram Israelis. Et habitarunt in urbe Galilææ, quæ appellatur Nazareth. Josephus autem professionem artis lignariæ repetens, manuum suarum opere vitam sustinuit. Neque enim alieno labore victum gratis quærebat unquam, quemadmodum (olim) præceperat lex Mosis.

CAP. X.

Tandem, increscentibus annis, provectæ ætatis senex evasit. Nulla tamen corporis laboravit infirmitate, nec defecit visus, neque ullus de ore ejus dens periit. Mente quoque, toto (ætatis) tempore, nunquam deliravit. Sed similis puero, juvenilem semper in negotiis suis vigorem præstitit. Et membra ejus integra (permanserunt), omnique dolore vacua. Tota autem ejus vita centum constabat et undecim annis, producta quam diutissime ipsius senecta.

CAP. XI.

Justus vero et Simeon seniores Josephi filii, ductis uxoribus, in familias suas abiverunt. Ambæ pariter nupserunt filiæ, et in suas secesserunt ædes. Et remanebant in domo Josephi Juda et Jacobus minor, nec non mater mea virgo. Ego insuper una cum illis (ibidem) permansi haut aliter ac si unus fuissem de filiis ejus. Transegi autem omnem ætatem meam sine culpa. Mariam appellavi matrem meam, et Josephum patrem, atque in omnibus, quæ dixerunt, morem ipsis gessi. Neque repugnavi illis unquam, sed obtemperavi eis, ut facere solent reliqui, quos terra producit, homines. Nec iram illis concitavi ullo die, aut verbum aliquod seu responsum (duriusculum) ipsis opposui, E contrario, ingenti eos prosequutus sum amore, ceu pupillam oculi.

CAP. XII.

Contigit post hæc, ut adpropinquaret mors senis illius pii Josephi, ipsiusque de hoc mundo exitus, more reliquorum hominum, qui huic terræ ortum debent. Atque, mutante ad interitum corpore ejus, indicavit ipsi angelus Domini jam instare mortis horam. Proinde eum timor, et ingens animi perturbatio invasit. Surgens autem, abivit Hierosolymam. Et ingressus templum Domini, effusisque ibi coram Sanctuario precibus, dixit:

CAP. XIII.

O Deus, (qui) auctor (es) omnis solatii, Deus omnis misericordiæ, et Dominus universi humani generis, Deus (inquam) animæ, spiritus et corporis mei. Supplex te veneror, O Domine et Deus mi. Si jam consummati sunt dies mei, tempusque adest, quo mihi exeundum est ex hoc mundo, mittas (quæso mihi) Michaelem magnum, angelorum tuorum sanctorum principem. Maneatque mecum, ut egrediatur anima mea misera ex ærumnoso hoc corpore sine molestia, sine terrore et impatientia. Etenim ingens timor, et tristitia vehemens omnia occupat corpora in die mortis eorum; sive mas sit, sive fœmina, sive bestia, sive fera, quidquid vel humi reptat, vel in aere volitat. In summa creaturæ omnes, quæ (sunt) sub cœlo, quibusque inest vitalis spiritus, horrore concutiuntur, metu magno et lassitudine ingenti, discedentibus de corporibus suis illarum animabus. Nunc igitur, O Domine, et Deus mi, adsit auxilio suo angelus tuus sanctus animæ meæ et corpori, donec a se invicem dissolventur. Neque facies angeli, mihi ad custodiam inde a formationis meæ die designati, aversa sit a me. Verum præbeat se mihi itineris socium, usque dum me ad Te perduxerit. Sit vultus ejus mihi amœnus et hilaris, et comitetur me in pace. Ne autem permittas, ut (dæmones) adspectu formidabiles accedant ad me in via, qua iturus sum, donec ad Te feliciter perveniam. Neque sinas, ut ostiarii animam meam ingressu (Paradisi) prohibeant. Neque, detegendo delicta, me probro exponas coram tribunali Tuo terribili. Neque irruant in me leones. Neque prius submergant animam meam fluctus maris ignei, (hoc enim omnis pertransire debet anima), quam gloriam divinitatis Tuæ conspexero. O Deus, justissime judex, qui in justitia et æquitate mortales judicabis, et retribues unicuique secundum opera ejus; O Domine (quæso) et Deus mi, adesto mihi misericordia Tua, et viam meam illumina, ut (perveniam) ad Te. Tu (enim) es fons omnibus abundans bonis et gloria in æternum. Amen.

CAP. XIV.

Factum deinde est, quum domum suam in urbe Nazareth rediit, ut morbo correptus, lecto teneretur. Atque hoc erat illud tempus, quo diem obiit, sicut destinatum est omnibus hominibus. Graviter autem hoc morbo laborabat, neque, ut in præsentia, ægrotaverat unquam a nativitatis suæ ortu. Et ita certe res Josephi justi disponere Christo placuit. Quadraginta (vixit)

annos, ante initum matrimonium. Mansit (deinde) uxor sub tutela ejus quadraginta et novem annos, (quibus elapsis) mortua est. Uno autem post mortem ejus anno, commissa ipsi (Josepho) fuit mater mea beata Maria a sacerdotibus, ut eam custodiret usque ad tempus nuptiarum. Biennium illa in domo ejus consumsit (nulla re memorabile.) At tertio commorationis ejus anno apud Josephum, suæ vero ætatis decimo quinto, peperit me in terra mysterio, quod nec penetrare nec capere potest ulla creatura, nisi ego, Paterque meus et Spiritus Sanctus, unam mecum constituens essentiam.

CAP. XV.

Tota itaque ætas patris mei, senis illius justi, centum confecit et undecim annos, ita decernente Patre meo (cœlesti). Et dies, quo deseruit anima corpus ejus, erat vigesimus sextus mensis Abib. Cœpit enim jam aurum exquisitum splendorem perdere, et argentum usu deteri, intellectum innuo et scientiam ejus. Cibum quoque fastidivit et potum, atque cessavit peritia artis fabrilis lignariæ, neque ejus ullam amplius rationem habuit. Contigit igitur prima luce vigesimi sexti diei (mensis) Abib, ut inquieta redderetur anima senis Josephi justi (decumbentis) in lecto suo. Quare aperuit os suum suspiria edens, manusque suas adversus invicem collisit. Et alta voce exclamavit, in hunc modum dicens:

CAP. XVI.

Væ diei, quo natus sum in mundum. Væ utero, qui gestavit me. Væ visceribus, quæ admiseruut me. Væ uberibus, quæ lactaverunt me. Væ pedibus, super quos sedens quievi. Væ manibus, quæ portarunt, et educarunt me usque dum adolevi. Quippe in iniquitate conceptus sum, et in peccatis concupivit me mater mea. Væ linguæ et labiis meis, quæ protulerunt et loquuta sunt vanitatem, obtrectationem, mendacium, inscitiam, irrisionem, figmentum, versutiam, et hypocrisin. Væ oculis meis, quæ conspexerunt scandalum. Væ auribus meis, quæ calumniatorum sermonibus delectabantur. Væ manibus meis, quæ rapuere ad se non jure pertinentia. Væ ventri meo et intestinis, quæ appetivere escam ipsis esu interdictam. Væ gutturi meo, instar ignis omnia, quæcunque inveniebat, consumenti. Væ pedibus meis, qui sæpius Deo ingratas ambularunt vias, Væ corpori, et væ animæ meæ tristi, jam a Deo auctore suo aversæ. Quid faciam, quum ad locum illum perrexero, ubi consistendum mihi est. coram justissimo judice, et ille me reprehensurus est, propter opera, quæ cumulavi in juventute mea? Væ omni homini morienti in peccatis suis. Profecto, eadem illa hora terribilis, quæ contigit patri meo Jacobo, quum evolaret ex corpore anima ejus, ecce! mihi jam imminet. O quam ego miser hodie sum et lamentatione dignus! Verum solus Deus est director animæ et corporis mei, ille etiam pro lubitu cum illis aget.

CAP. XVII.

Hæc sunt, quæ loquutus est Josephus, senex ille justus. Ego autem ingressus apud illum, deprehendi animam ejus vehementer commotam, erat enim in magna angustia constitutus. Et dixi illi: Salve mi pater Josephe, vir juste; qui vales? Ille vero respondit mihi: Plurimum salve, O filiole mi dilecte. Equidem dolor metusque mortis jam circumdedere me; sed, statim ac audivi vocem tuam, requievit anima mea. O Jesu Nazarene, Jesu sospitator mi, Jesu liberator animæ meæ, Jesu protector Jesu, O suavissimum nomen in ore meo, omniumque amantium illud. Ocule, qui vides, et auris, quæ audis, exaudi me. Ego servus tuus hodie humillime te veneror, et coram te lacrimas meas effundo. Tu es omnino Deus meus, tu es Dominus meus, quemadmodum mihi sæpissime retulit angelus. Præcipue autem eo die, quo fluctuavit animus meus cogitationibus perversis ob puram (et) benedictam Mariam in utero gestantem, quamque ego secreto dimittere cogitabam. Hæc vero mihi meditanti ecce! apparuere per quietem angeli Domini miro mysterio, dicentes mihi: O Josephe fili David, ne timeas accipere Mariam sponsam tuam, neque contristeris, neque verba indecora loquaris de conceptione ejus, quia gravida est de Spiritu Sancto, et pariet filium, cujus nomen vocabitur Jesus, ille enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Ne autem ob hanc causam mihi male cupias, O Domine, ignoravi enim mysterium nativitatis tuæ. Recordor etiam, mi Domine, diei istius, quum morsu serpentis puer iste necabatur. Voluerunt autem propinqui ejus tradere te Herodi, dicentes te interfecisse illum. Sed resuscitatum a mortuis eum illis reddidisti. Tunc ego accedens, et prehensa manu tua, dixi: Mi fili, cave tibi. At tu respondisti mihi: Nonne tu es pater meus secundum carnem? docebo te, quis ego sum. Nunc igitur, O Domine et Deus mi, ne mihi succenseas vel condemnes me propter illam horam. Ego sum servus tuus et filius ancillæ tuæ. Tu vero es Dominus meus, Deus et Servator meus, filius Dei certissime.

CAP. XVIII.

Hæc ubi dixerat pater meus Josephus, flere amplius non potuit. Et conspexi mortem jam ipsi dominantem. Surgens autem mater mea, virgo illibata, et accedens ad me dixit: O mi fili dilecte, jamjam moritur hic pius senex, Josephus. Et respondi ego: O mater mea amantissima, utique omnibus creaturis, quæ in hoc mundo generantur, eadem incumbit moriendi necessitas, mors enim in universum genus humanum jus obtinet. Tibi etiam, O mater mea virgo, idem, ac reliquis mortalibus, vitæ exitus expectandus est. Attamen mors tua, ut et mors senis hujus pii, mors non est, sed vita perennis in æternum. Quin oportet etiam me emori qua corpus, quod a te suscepi. Verum surge, O mater mea veneranda, ito et in-

gredere ad Josephum senem benedictum, ut videas quid, adscendente (de corpore anima) ejus, contingets.

CAP. XIX.

Ibat igitur Maria mater mea pura, et ingrediebatur locum, ubi erat Josephus. Atque ego ad pedes ejus sedebam, illum respiciens. Signa vero mortis jam apparuere in vultu ejus. At senex ille benedictus, levato capite, et defixis oculis faciem meam intuebatur. Nulla tamen me alloquendi ipsi vis inerat, ob mortis, qui eum circumseptum tenuit, dolorem: sed multa trahebat suspiria. Ego autem manus ejus per unius integræ horæ spatium tenui. Et, conversa ille ad me facie, indicabat, ne ipsum desererem. Imposita deinceps pectori ejus manu mea, deprehendi animam ejus, jam faucibus vicinam, abitum parare de suo receptaculo.

CAP. XX.

Ut autem conspexit me mater mea virgo tangentem corpus ejus, tetigit et illa pedes. Atque inveniens illos jam emortuos, et calore destitutos, dixit mihi: O fili mi dilecte, profecto incipiunt jam pedes ejus frigescere, et nivis algorem imitantur. Proinde convocatis filiis et filiabus ejus, dixit eis; Venite quotquot estis, et accedite ad patrem vestrum, certe enim ad extrema nunc perventum est. Respondit Asia filia ejus (Josephi,) dicens: Væ mihi, O fratres mei, utique hic idem est morbus, qui (fuit) matris meæ dilectæ. Ejulabat autem et lacrimabatur, simul plorantibus reliquis omnibus Josephi liberis. Ego etiam et Maria mater mea una cum illis flevimus.

CAP. XXI.

At convertens ego ad meridianam plagam oculos, vidi mortem jam adventantem, totamque cum illa gehennam, exercitu suo et satellitibus stipatam. Et vestimenta, vultus et ora illorum fundebant ignes. Hæc ubi conspexit pater meus Josephus recta ad se pergere, in lacrimas oculi ejus soluti sunt. Eodemque tempore mirum in modum ingemuit. Proinde, visa suspiriorum ejus vehementia, mortem repuli, ac totum, quod ipsam comitabatur, famulorum agmen. Atque invocavi Patrem meum bonum, dicens:

CAP. XXII.

O pater omnis clementiæ, ocule qui vides, et auris, quæ audis! Exaudias supplicationem ac preces meas pro sene Josepho. Et mittas Michaelem angelorum tuorum principem, atque Gabrielem præconem lucis omnemque angelorum tuorum lucem. Et (totus) eorum ordo ambulet cum anima patris mei Josephi, donec perduxerint eam ad Te. Hæc est hora, qua opus habet pater meus misericordia. Ego autem dico vobis, quod omnes sancti, immo quotquot in mundo nascuntur, homines, sive justi sint, sive perversi, necessario gustare debeant mortem.

CAP. XXIII.

Venerunt itaque Michael et Gabriel ad animam patris mei Joseph. Et acceptam, eam involverunt involucro lucido. Sic commisit spiritum in manus Patris mei boni, et (hic) impertivit ipsi pacem. Nondum autem ullus ex liberis eum obdormivisse scivit. At angeli conservarunt animam ejus a dæmonibus tenebrarum, qui erant in via. Et laudaverunt Deum, usque dum eam perducerent ad habitaculum piorum.

CAP. XXIV.

Corpus vero ejus prostratum jacuit, et exsangue. Quare, admota oculis ejus manu, eos composui, ipsiusque os clausi, atque Mariæ virgini dixi: O mater mea, ubi est ars ejus, quam professus est toto isto tempore, quo in hoc mundo (vixit)? Ecce periit jam illa, (factaque est) quasi nunquam extitisset. (Hæc) ubi audiverunt liberi ejus me loquentem cum matre mea, virgine pura, cognoverunt eum jam exspirasse, admixtisque lacrimis, ejularunt. Dixi autem illis: Utique mors patris vestri, mors non est, sed vita sempiterna. Etenim liberatus ærumnis hujus seculi, ad requiem transiit perpetuam, (et) æternum duraturam. Hisce auditis, sciderunt vestes suas, flentes.

CAP. XXV.

Et quidem incolæ (urbis) Nazareth et (totius) Galilææ, cognito ipsorum planctu, ad eos confluxere. Et fleverunt ab hora tertia usque ad nonam. Hora autem nona omnes ad cubiculum ejus (Josephi) simul abiverunt. Atque sustulerunt corpus ejus, postquam illud unguentis sublimibus imbuerant. Ego vero precabar Patrem meum oratione cœlestium. Hæc eadem illa (est), quam manu mea prius exaravi, quam utero portarer Mariæ virginis, matris meæ. Simul autem ac eam absolvi, et enuntiavi Amen, ingens angelorum multitudo accessit. Duobusque ex illis mandavi, ut vestem expanderent lucidam, eaque corpus senis benedicti Josephi obvolverent.

CAP. XXVI.

Et affatus Josephum dixi: Non dominabitur in te odor mortis vel fœtor, neque prodibit vermis de corpore tuo unquam. Non frangetur de eo membrum vel unicum, neque ullus mutabitur in capite tuo pilus: neque peribit quidquam de corpore tuo, O mi pater Josephe, sed manebit integrum et incorruptum usque ad convivium mille annorum. Et quisquis mortalium curam habuerit oblationis die recordationis tuæ, ipsi ego benedicam, et retribuam in congregatione virginum. Et quicunque cibum dederit miseris, pauperibus, viduis et orphanis de labore manuum suarum, die, quo tua celebratur memoria, (et quidem) in nomine tuo, non (ille) destituetur bonis, omnibus vitæ suæ diebus. Quisquis etiam scyphum aquæ vel vini bibendum præbuerit viduæ aut orphano in nomine tuo, dabo tibi illum, ut

ingrediaris cum illo ad convivium mille annorum. Omnisque homo, cui curæ erit oblatio die commemorationis tuæ, ipsi benedicam, et remunerationem præstabo in ecclesia virginum. Reddam (inquam) ipsi pro uno triginta, sexaginta, et centum. Et quicunque historiam vitæ tuæ descripserit, laboris tui, et migrationis de hoc mundo, sermonemque (hunc) ore meo prolatum, illum tuæ tutelæ committam, dum in hac vita versabitur. Discedente autem de corpore anima ejus, et ubi hic ipsi mundus deserendus est, librum delictorum ejus comburam, nec ullo eum torquebo supplicio in die judicii. Sed trajiciet mare igneum, atque sine molestia et dolore illud pertransibit. Hoc (est), quod incumbit omni homini egeno, qui præstare nequit quidquam ex iis, quæ commemoravi: Nimirum, si nascitur ipsi filius, vocabit nomen ejus Josephum. Sic locum non habebit in illa domo vel penuria, vel repentina aliqua mors in sempiternum.

CAP. XXVII.

Convenerunt deinceps optimates urbis in locum, ubi positum erat corpus senis benedicti Josephi. Et afferentes secum amicula feralia, voluerunt illud (eis) involvere secundum consuetudinem, qua componere solent (cadavera) Judæi. Sed deprehenderunt eum sindonem suam (quasi adstrictam) tenere, ita enim illa corpori ejus adhæsit, ut cupientibus eam exuere, inventa sit instar ferri, immobilis et indissolubilis. Neque ullas in sindone illa reperire potuerunt extremitates, quæ res maximam ipsis admirationem injecit. Tandem extulerunt eum ad locum, ubi sita erat spelunca, et aperuerunt januam, ut conderent corpus ejus inter corpora patrum ejus. Tunc mihi in mentem veniebat dies, qua mecum ambulavit in Ægyptum, summaque illa molestia, quam mea caussa sustinuit. Proinde (mortem) ejus multo tempore deflevi, et, reclinans me super corpus ejus, dixi:

CAP. XXVIII.

O mors, quæ omnem scientiam reddis evanidam, ac tot lacrimas excitas et ejulatus, certe Deus, pater meus, ille ipse (est), qui hanc tibi potestatem concessit. Ob transgressionem enim Adami et conjugis ejus Evæ intereunt (homines), neque parcit mors vel uno. Nemini tamen accidit aut infertur quidquam sine mandato patris mei. Utique extitere homines, qui vitam produxerunt ad nongentos usque annos; sed donati sunt. Immo, licet eorum nonnulli diutius vixerint, eidem nihilominus fato succubuere, nec ullus de ipsis nnquam dixit: Ego non gustavi mortem. Quippe Dominus nunquam eandem pœnam infert, nisi semel, quum patri meo placuerit eam homini immittere. Eodemque momento, ubi procedens illa conspicit mandatum ad se descendens de cœlo, ait: Prodibo contra illum (hominem, ingentem excitatura) commotionem. Tunc fit sine mora in animam impetus, et dominatur ipsi (mors), ad suum arbitrium cum illa agens. Propterea enim, quod Adam non fecit voluntatem patris mei, sed transgressus

est mandatum ejus, ad iram contra illum concitatus pater meus, eum addixit morti, et (hac ratione) ingressa est mors in mundum. Quod si observasset Adam præceptum patris mei, nunquam illi mors obtigisset. Putatisne me petere posse a patre meo bono, ut mihi mittat currum igneum, qui suscipiat corpus patris mei Josephi, illudque transferat in locum quietis, ut habitet cum spiritalibus? Verum ob prævaricationem Adami descendit ista ærumna et mortis violentia in universum genus humanum. Atque hæc est caussa, cur me oporteat mori secundum carnem, (nimirum) pro opere meo (seu hominibus), quos creavi, ut consequantur gratiam.

CAP. XXIX.

Hæcce loquutus, amplexabar corpus patris mei Josephi, et flebam super illud. (Reliqui) vero sepulcri januam aperuerunt, et reposuerunt corpus ejus in eo juxta corpus patris ejus Jacobi. Tempore autem, quo obdormivit, completi ipsi erant centum et undecim anni. Nunquam ipsi doluit dens ullus in ore ejus: nec hebes reddita fuit oculorum acies: nec statura ejus incurva: neque decreverunt vires. Sed operam dedit arti fabrili lignariæ usque ad extremum vitæ suæ diem. Et hic dies erat sextus et vigesimus (mensis) Abib.

CAP. XXX.

Nos vero apostoli, ubi (ista) audivimus a Servatore nostro læti surreximus, et prono corpore ipsi honorem exhibentes, diximus: O Servator noster, tuam nobis exhibeto gratiam: equidem nunc audivimus sermonem vitæ. Miramur tamen, O Servator noster, fata Henochi et Eliæ, eos nimirum nulli obnoxios fuisse morti. Enimvero sedem incolunt justorum in præsentem usque diem, neque viderunt corpora eorum corruptionem. At senex ille Josephus faber lignarius erat tamen pater tuus secundum carnem. Jussisti autem, ut euntes per totum mundum, prædicemus sanctum Evangelium. Et dixisti: Nuntiate illis (etiam) mortem patris mei Josephi, et festum ipsi diem (ac) sacrum anniversaria solennitate celebrate. Quicunque vero diminuerit quidquam de hoc sermone, sive illi aliquid addiderit, ille delinquit. Miramur utique, (Josephum) inde ab illo die, quo natus fuisti Bethlehemi, te appellavisse filium suum secundum carnem. Quare igitur eum, æque ac illi (Henochus et Elias) sunt, non reddidisti immortalem? Et tu dicis eum justum fuisse et electum.

CAP. XXXI.

Respondit vero Servator noster, et dixit: Equidem prophetia patris mei jam consummata est super Adamum ob inobedientiam ejus. Et omnia ad nutum voluntatemque patris mei disponuntur. Quippe si homo missum facit mandatum Dei, et opera sectatur diaboli, committendo peccatum, producitur ætas ejus. In hoc scilicet (vivus) servatur, ut forte pœnitentiam agat, et perpendat se tradendum esse in manus mortis. Quod si fuerit ali-

quis bonorum operum studiosus, et ipsi vitæ prorogatur spatium, ut, increbrescente senectutis ejus fama, eum homines probi imitentur. Ubi vero hominem conspicitis, cujus animus in iram præceps est, utique dies ejus abbreviantur; hi enim sunt, qui in ætatis suæ flore auferuntur. Omnis itaque prophetia, quam pronuntiavit pater meus de filiis hominum, in qualibet re impleri debet. Quod vero attinet ad Henochum et Eliam, quomodo in hunc diem vivi subsistant, eadem servantes corpora, cum quibus nati fuerunt, et quod patrem meum Josephum concernit, cui æque ac illis non contigit in corpore suo permansio; equidem, etiamsi vixerit homo multas annorum myriadas in mundo, cum morte tamen vitam aliquando commutare cogitur. Et dico vobis, O fratres mei, quod oporteat illos ipsos (Henochum et Eliam) sub finem temporum redire in mundum, et vita defungi, in die nimirum commotionis, terroris, angustiæ, et afflictionis. Nam Antichristus quatuor interficiet corpora, eorumque effundet sanguinem aquarum in modum propter opprobrium, cui quum expositi sunt, et ignominiam, qua, detecta ipsius impietate, eum vivi notabunt.

CAP. XXXII.

Et diximus: O Domine noster, Deus et Salvator noster. Quinam sunt illi quatuor, quos dixisti e medio sublaturum esse Antichristum ob exprobrationem eorum? Respondit Servator: Illi sunt Henoch, Elias, Schila et Tabitha. Hunc sermonem quum audivimus a Servatore nostro, gavisi sumus et exultavimus. Omnemque gloriam et gratiarum actionem obtulimus Domino, Deo et Servatori nostro Jesu Christo. Hic est, cui debetur gloria, honos, dignitas, dominium, potentia et laus, simul ac Patri bono cum eo, et Spiritui Sancto vivificanti dehinc et omni tempore, in seculum seculorum. Amen.

II. EVANGELIUM INFANTIÆ SERVATORIS, ARABICE.

The Arabic gospel of our Saviour's infancy was first printed with a Latin translation, by Henry Sikius, Trajecti ad Rhenum, 1697. The Latin translation alone was given in the editions of Fabricius, Jones and Schmid.

The MS., from which Sikius printed the Arabic Gospel of the Infancy, had belonged to Golius, and was afterwards sold by

auction at Leyden. Thilo supposes that it may have been brought to England by Sikius, who became professor of oriental languages at Cambridge, and destroyed himself in 1712. Besides this MS. there is one in the Medicean library, No 32, one in the Vatican, and two in the Paris library [Syr. Nos 133 and 154].

The Arabic text is here printed from the Codex of Thilo; and we now add the Latin version of Sikius for the use of those who cannot read the original Arabic:

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Dei unius.

Auxiliante et favente summo numine incipimus scribere librum miraculorum Heri et Domini et Servatoris nostri Jesu Christi, qui vocatur Evangelium infantiæ, in pace Domini; Amen!

CAP. I.

Invenimus in libro Josephi Pontificis, qui vixit tempore Christi (dicuntque nonnulli eum esse Caiapham; dixit is:) Jesum loquutum esse, et quidem quum in cunis jaceret, dixisseque matri suæ Mariæ: Ego quem peperisti, sum Jesus, filius Dei, ὁ Λόγος, quemadmodum annunciavit tibi angelus Gabriel; misitque me pater meus ad salutem mundi.

CAP. II.

Anno autem trecentesimo nono æræ Alexandri edixit Augustus, ut describeretur unusquisque in patria sua. Surrexit itaque Josephus, et assumta Maria sponsa sua Hierosolymam abiit, venitque Bethlehemum, ut cum familia sua in urbe patria describeretur. Quumque ad speluncam (Cf. Just. M. Dial. c. 78, n. 6.) pervenissent, fassa est Maria Josepho, instare sibi tempus pariendi, neque se posse in urbem proficisci; sed, Hanc, inquit, speluncam intremus. Sol autem præceps in occasum ferebatur. At Josephus propere abiit, ut mulierem ei accerseret, quæ (in partu) ei adesset. Quum jam in eo occupatus esset, anum Hebræam conspexit, Hierosolymis oriundam, et, Heus benedicta, inquit, huc ades, et speluncam istam ingredere, in qua mulierem partui vicinam invenies.

CAP. III.

Post solis itaque occasum anus, et cum illa Josephus, ad speluncam pervenit, eamque ambo intraverunt. Et ecce! repleta erat illa luminibus, lucernarum et candelarum fulgorem excedentibus, et solari luce majoribus.

Infans faciis involutus Dominæ Mariæ matris suæ ubera sugebat, in præsepi repositus. Hanc lucem quum ambo mirarentur, rogat vetula Dominam Mariam: Tune hujus prolis es mater? et, annuente Domina Maria Nequaquam, ait, similis es filiabus Evæ. Dicebat Domina Maria: Sicut filio meo nemo inter pueros similis exsistit, ita ipsius genitrix nullam inter mulieres parem habet. Respondente vero anu et dicente: Hera mea, veni ego, ut præmium perpetuo duraturum acquirerem, inquit illi Hera nostra Domina Maria: Impone manus tuas infanti. Quod quum fecisset anus, ex tempore munda evasit. Egressa itaque dicebat: Ab hoc tempore famula et ministra ero hujus infantis, omnibus diebus vitæ meæ.

CAP. IV.

Deinde quum advenissent pastores, et, succenso igne, admodum lætarentur, apparuerunt illis exercitus cœlestes, laudantes et celebrantes Deum supremum; idemque facientibus pastoribus spelunca ista tunc temporis augusto templo simillima videbatur, quoniam ora cœlestia pariter et terrestria celebrabant et magnificabant Deum ob nativitatem Domini Christi. Videns vero anus illa Hebræa manifesta ista miracula, gratias Deo agebat, dicens: Gratias tibi ago, O Deus, Deus Israelis, propterea quod viderunt oculi mei nativitatem Servatoris mundi.

CAP. V.

Quumque adesset tempus circumcisionis, dies scilicet octavus, quo circumcidendum esse puellum lex præcipit, circumciderunt illum in spelunca; sumsitque anus illa Hebræa pelliculam istam (dicunt vero alii ipsam sumsisse præsegmen umbilici), eamque in alabastro olei nardini vetusti recondidit. Erat autem illi filius seplasiarius, cui tradens illud, Cave, inquit, vendas alabastrum hoc unguenti nardini, quamvis trecenti denarii pro illo tibi offerrentur. Atque hoc est alabastrum illud, quod Maria peccatrix sibi comparavit, et in caput et pedes Domini nostri Jesu Christi effudit, eosque capillitio capitis sui extersit. Tum decem dierum spatio interjecto Hierosolyma eum detulerunt, et quadragesimo a nativitate die in templo coram facie Domini stiterunt, offerentes pro ipso munera; quod in lege Mosis præscriptum est; scilicet: Omnis mas adaperiens vulvam sanctus Dei vocabitur.

CAP. VI.

Viditque illum Simeon senex, instar columnæ lucis refulgentem, quum Domina Maria virgo, mater ejus, ulnis suis eum gestaret, magnamque ex ipso lætitiam perciperet, et circumdabant eum Angeli instar circuli, celebrantes illum, tanquam satellites regi adstantes. Simeon itaque propere ad Dominam Mariam accedens, et manus suas versus illam extendens, dicebat Domino Christo: Nunc, O Domine mi, servus tuus in pace dimittitur, secundum verbum tuum; nam viderunt oculi mei misericordiam tuam

quam parasti ad salutem omnium gentium; lucem omnibus populis, et gloriam populo tuo Israeli. Aderat quoque tunc Hanna prophetissa, et accedens Deo gratias agebat, Dominamque Mariam felicem prædicabat.

CAP. VII.

Et factum est, quum natus esset Dominus Jesus Bethlehemi, (urbe) Judææ, tempore Herodis regis, ecce! Magi venerunt ex Oriente Hierosolyma, quemadmodum prædixerat Zoraascht; erantque cum ipsis munera, aurum, thus, et myrrha; et adoraverunt eum, suaque ipsi munera obtulerunt. Tunc Domina Maria sumsit unam ex illis tæniis (quibus involutus erat infans), eamque loco benedictionis illis tradidit, quam ipsi tanquam munus præclarissimum ab ea acceperunt. Eademque hora apparuit illis Angelus in forma stellæ illius, quæ antea dux itineris ipsis fuerat, cujus lucis ductum sequuti abierunt, donec in patriam suam reverterentur.

CAP. VIII.

Convenerunt autem reges et principes illorum, rogantes, Ecquidnam vidissent aut egissent? quomodo ivissent ac redivissent? quos tandem itineris comites habuissent? Hi vero protulerunt illis fasciam istam, quam Domina Maria ipsis tradiderat: quapropter celebrarunt festum, ignemque pro more suo succenderunt, eumque adoraverunt, et fasciam istam in illum conjecerunt, corripuitque eam ignis et in sese comprehendit. Exstincto autem igne fasciam extraxerunt illæsam, ac si ignis eam non attigisset. Itaque cœperunt illam osculari, capitibusque suis et oculis imponere, dicentes: Hæc sane indubitata est veritas! utique magna res est, quod ignis comburere illam aut perdere nequiverit. Inde sumserunt eam, et magna cum veneratione in thesauris suis reposuerunt.

CAP. IX.

Herodes autem videns Magos cunctari, nec ad sese reverti, accersivit sacerdotes et sapientes, et dixit illis: Docete me, ubi nasciturus sit Christus. Quumque illi respondissent: Bethlehemi, (urbe) Judææ, cœpit animo volvere cædem Domini Jesu Christi. Tunc apparuit Angelus Domini Josepho in somnis, dixitque: Surge, accipe puerum et matrem ejus, et abi in Ægyptum. Sub galli cantum itaque surrexit et profectus est.

CAP. X.

Quumque reputaret secum, quale futurum esset iter suum, supervenit ipsi aurora, ruperatque defatigatio itineris sellæ cingulum. Jamque appropinquabat urbi magnæ, in qua idolum erat, cui reliqua Ægypti idola et numina munera et vota offerebant; aderatque huic idolo sacerdos ministrans ipsi, qui, quotiescunque Satanas ex idolo isto loqueretur, incolis Ægypti et plagarum ejus illa referebat. Erat huic sacerdoti filius triennis,

a magna dæmonum multitudine obsessus, qui plurima loquebatur et proferebat, et, quum corriperent illum dæmones, laceratis vestibus suis nudus obambulabat, et homines lapidibus petebat. In vicinia autem istius idoli erat nosocomium illius urbis; quam quum ingressi essent Josephus et Domina Maria, et in nosocomium istud divertissent, valde consternati sunt cives ejus, conveneruntque omnes principes et sacerdotes idolorum ad idolum illud, rogantes: Ecquænam est ista consternatio et trepidatio, quæ regionem nostram invasit? Respondit eis idolum: Appulit huc Deus ignotus, qui revera est Deus, neque quisquam præter illum divino cultu dignus est, quoniam revera est filius Dei; ejus ad famam hæc regio contremuit, ejusque adventu commota est et concussa, et nos a magnitudine imperii ejus valde timemus. Eademque hora idolum hoc corruit, et ad ruinam ejus, præter cæteros, omnes Ægypti incolæ concurrerunt.

CAP. XI.

Filius autem sacerdotis, quum solitus illum morbus invaderet, nosocomium ingressus Josephum ibi et Dominam Mariam offendit, quos cæteri omnes fuga deseruerant; et quoniam Hera Domina Maria laverat fascias Domini Christi, easque in tigillo suspenderat, puer iste dæmoniacus unam harum fasciarum detraxit, eamque capiti suo imposuit, statimque dæmones ex ore ipsius egredi, et corvorum ac serpentum figura fugere cœperunt. Ex tempore igitur imperio Domini Christi sanatus est puer, et Domino, qui ipsum sanaverat, laudes canere et gratias agere cœpit. Quem quum sanitati pristinæ restitutum pater cerneret, Mi fili, inquit, quid tibi accidit? et qua ratione sanatus es? Respondit filius: Quum agitarent me dæmones, in nosocomium abii, ibique feminam decori vultus cum puero inveni, cujus illa fascias recens lotas in tigillo suspenderat; harum unam dereptam dum capiti meo impono, reliquerunt me dæmones et fugerunt. Gaudio exsultans pater, Mi fili, ait, fieri potest, ut hic puer sit filius Dei vivi, qui cœlos et terram creavit; simul atque enim ad nos transiit, fractum est idolum, cecideruntque cuncta numina, et a vi majore destructa sunt.

CAP. XII.

Hic impleta est prophetia, quæ dicit: Ex Ægypto vocavi filium meum. Josephum vero et Mariam, quum idolum illud corruisse et periisse audirent, terror et tremor invasit, adeo ut dicerent: Quum essemus in terra Israelis, Herodes Jesum interficere voluit, et propterea omnes infantes Bethlehemi ejusque viciniæ occidit; neque dubium est, quin Ægyptii, si idolum hoc fractum corruisse audiverint, nos igne sint crematuri.

CAP. XIII.

Hinc ergo digressi ad latibula latronum pervenerunt, qui prætereuntes viatores sarcinis modo et vestibus exspoliaverant, eosque vinctos ducebant.

Audiebant vero latrones isti strepitum ingentem, qualis esse solet strepitus regis, magno cum exercitu et equitatu reboantibus tympanis ex urbe sua egredientis; qua re perculsi relicta omnia præda propere fugiebant. Surgentes itaque captivi, alter alterius vincula solvebant, et receptis sarcinis suis abeuntes, quum Josephum et Mariam accedentes viderent, rogabant: Ubinam ille rex, cujus adventantis strepitum audientes latrones nos reliquerunt, ita ut salvi evaserimus? Respondebat Josephus: Pone nos veniet.

CAP. XIV.

Deinde in aliam urbem venerunt, ubi mulier erat dæmoniaca, quam, quum noctu aliquando aquatum processisset, Satanas maledictus et rebellis insederat. Hæc neque vestimenta pati, neque in ædibus durare poterat, et quotiescunque catenis illam aut loris constringerent, disruptis illis, nuda, in loca deserta fugiebat, triviisque et sepulchretis insistens homines lapidibus impetebat, ita ut propinquis suis magnæ calamitati esset. Hanc igitur conspicata Domina Maria, miserta est; et confestim dereliquit eam Satanas et in forma juvenis fugiens abiit, dicens: Væ mihi a te, Maria, et a filio tuo! Sic sanata est ista mulier a cruciatu suo, resipiscensque et propter nuditatem suam erubescens ad suos abiit, conspectum hominum fugitans, indutaque vestes suas patri et propinquis rationem status sui exposuit; qui, quoniam ex optimatibus civitatis erant, Dominam Mariam et Josephum magna cum veneratione hospitio exceperunt.

CAP. XV.

Proxima luce, viatico probe instructi, ab illis digressi sunt, et circa vesperam ejus diei in aliud oppidum, in quo nuptiæ celebrabantur, devenerunt; sed technis Satanæ maledicti, et opera veneficorum obmutuerat sponsa, ita ut hiscere amplius nequiret. Heram itaque Dominam Mariam, quum filium suum Dominum Christum ulnis gestans oppidum intraret, conspicata muta ista sponsa manus suas versus Dominum Christum extendit, quumque ad se pertractum ulnis excepit, et arcte inhærescens basia frequentia illi impegit, crebro eum motitans suoque corpori apprimens. Extemplo solutus est nodus linguæ ejus, et apertœ sunt aures ejus; Deoque, quod sanitatem ipsi restituisset, laudes et grates canere cœpit, Magna itaque hac nocte lætitia inter cives ejus oppidi oriebatur, adeo ut putarent, Deum et Angelos ejus ad sese descendisse.

CAP. XVI.

Triduum ibi substiterunt, magna in veneratione habiti, et apparatu splendido accepti. Viatico deinde instructi ab illis discesserunt, et in aliam urbem devenerunt, in qua, quod hominum celebritate floreret,

pernoctare desiderabant. Erat vero in hac urbe mulier nobilis, quæ quum aliquando lavatum ad flumen descendisset, ecce tibi! Satanas maledictus in forma serpentis insiluerat in eam, et ventrem ejus circumplicaverat; singulisque noctibus super illa se extendebat. Hæc mulier conspicata Heram Dominam Mariam, et Dominum Christum infantem in sinu ejus, rogabat Heram Dominam Mariam, ut sibi infantem hunc gestandum et deosculandum traderet. Annuente illa, et vix admoto puero, discessit ab illa Satanas, et fugiens eam reliquit, neque unquam post hunc diem mulier illum vidit. Omnes ergo vicini Deum supremum laudabant, et mulier ista magna eos benignitate remunerabatur.

CAP. XVII.

Postero die eadem mulier aquam odoratam sumsit, ut Dominum Jesum lavaret; eoque loto aquam illam penes se reservavit. Eratque ibi puella, cujus corpus lepra album erat, quæ quum aqua hac perfunderetur et lavaretur, mundata fuit ex tempore a lepra sua. Dicebat ergo populus : Nullum est dubium, quin Josephus et Maria et puer iste dii sint, ueque enim mortales videntur. Quum vero discessum pararent, accedens puella ista, quam lepra infestaverat, rogabat illos, ut se viæ comitem adsumerent.

CHAP. XVIII.

Annuebant, ibatque cum eis puella, donec in urbem venirent, in qua arx erat magni principis, cujus haud procul a diversorio ædes erant. Huc divertebant, quumque abiens puella ad uxorem principis intrasset, eamque tristem et plorantem reperiret, causam fletus sciscitabatur. Ne mirare, inquit illa, singultus meos; magna enim calamitate premor, quam nulli hominum narrare ausim. Atqui, ait puella, forte, si malum tuum secretum mihi commiseris, ejus apud me remedium invenietur. Tu ergo, respondit uxor principis, secretum hoc abscondens nulli mortalium narrabis. Ego nupta huic principi, regis instar multis terris imperitanti, diu ita cum ipso vixi, ut nullam ex me prolem susciperet. Tandem ex eo concepi, sed filium (eheu !) leprosum peperi; quem ille conspectum pro suo non agnovit, mihique, Vel tu, ait, hunc interfice, vel nutrici cuipiam trade, tali loco educandum, unde nulla ejus fama audiatur. Jamque res tuas tibi habe, nunquam te rursus videbo. Itaque mœrorem meum et conditionem miseram deplorans contabui. Heu filium meum, heu conjugem! Dixine tibi? inquit puella; morbo tuo medicinam reperi, quam tibi spondeo. Nam ego quoque leprosa fui, sed mundavit me Deus, qui est Jesus, filius Dominæ Mariæ. Rogante autem muliere, ubinam hic esset Jeus, quem memoraret, Hic tecum, inquit puella, in eadem domo versatur. At qua ratione hoc fieri potest, ait illa, ubinam est? Ecce, regerit puella, Joseph-

um et Mariam ; infans vero, qui cum illis est, Jesus vocatur, atque is est, qui morbum meum et cruciatum sanavit. At qua ratione, ait illa, mundata es a lepra tua ? nonne id mihi indicabis ? Quid ni ! inquit puella ; aquam qua lotum fuerat corpus ejus, accepi a matre ejus, et in me effudi, et evanuit lepra mea. Surgens itaque uxor principis hospitio illos excepit, et splendidum Josepho convivium in magno virorum cœtu paravit. Postera vero luce aquam odoratam sumsit, qua Dominum Jesum ablueret, et filium suum, quem secum assumserat, eadem deinde aqua perfudit, et extemplo filius ejus mundatus est a lepra sua. Grates ergo et laudes Deo canens, Beata, inquit, mater, quæ te peperit, O Jesu ! itane homines, ejusdem tecum naturæ participes, aqua, qua corpus tuum perfusum fuit, mundas ? Ingentia porro munera Dominæ Heræ Mariæ obtulit, eamque eximio cum honore dimisit.

CAP. XIX.

Ad aliam deinde urbem pervenientes, in illa pernoctare desiderabant. Divertebant igitur ad virum, recenti matrimonio devinctum, sed qui veneficio tactus uxore frui non poterat; quumque ea nocte penes ipsum pernoctassent, solutum est vinculum ejus. At oriente luce quum ad iter sese accingerent, prohibuit eos sponsus, magnumque illis convivium apparavit.

CAP. XX.

Postero ergo die profecti, et novæ urbi appropinquantes, tres conspiciunt mulieres a sepulchro quodam magno cum fletu procedentes. Quas conspicata Domina Maria, inquit puellæ, quæ ipsos comitabatur : Quære ex illis, quæ sit ipsarum conditio, et quid ipsis calamitatis acciderit. Quumque a puella rogarentur, nihil respondentes vicissim interrogabant : Unde vos, et quo tenditis ? jam enim præteriit dies, et nox ingruit. Nos viatores sumus, inquit puella, et diversorium, in quo pernoctemus, quærimus. Dicebant illæ : Ite nobiscum, et apud nos pernoctate. Sequuti ergo illas, in domum novam, ornatam, et varia supellectile instructam introducebantur. Erat vero tempus brumale, et puella mulierum istarum conclave ingressa rursus eas flentes et lamentantes inveniebat. Adstabat eis mulus, tegumento serico instratus, cui sesama erant objecta, cuique oscula dabant, et pabulum subministrabant. Dicente autem puella ista : Quam pulcher, O dominæ meæ, hic mulus est ! respondebant illæ flentes et dicebant : Mulus hic, quem cernis, noster fuit frater, eadem hac matre nostra natus. Quum enim fato functus parens noster magnas nobis opes reliquisset, atque hunc unicum fratrem haberemus, commodum illi matrimonium quærebamus, nuptias ei, more hominum, parare gestientes. Sed mulieres

zelotypiæ œstro percitæ illum nobis insciis fascinarunt, et nos quadam nocte, paulo ante auroram, foribus ædium nostrarum probe occlusis, fratrem hunc nostrum mulum factum esse vidimus, qualem hodie illum cernis. Nos vero tristes, sicuti vides, quia pater non erat nobis, quo nos solaremur, nullum in mundo sapientem, aut magum, aut incantatorem omisimus, quin illum accerseremus; sed nihil omnino nobis profuit. Itaque, quoties pectora nostra mœrore opprimuntur, surgimus, et cum matre hac nostra sepulchrum patris nostri adimus, et, postquam ibi flevimus, revertimur.

CAP. XXI.

Hæc quum audivisset puella ista, Animum recipite, inquit, et fletus omittite; etenim medicina mali vestri propinqua est, imo vobiscum est, et in medio ædium vestrarum: nam ego quoque leprosa fui, sed ut istam vidi mulierem, et cum illa infantem hunc parvulum, cujus nomen est Jesus, aqua, qua illum abluerat mater, corpus meum perfudi, et munda evasi. Novi autem, illum vestro quoque malo posse mederi; quare surgite, Dominam meam Mariam adite, atque ei in mansiunculam vestram deductæ secretum vestrum revelate, suppliciter illam rogantes, ut vestrum misereatur. Postquam mulieres sermonem puellæ audiverant, propere Dominam Heram Mariam adibant et ad sese introducebant, et coram ea considentes flebant et dicebant: O Domina nostra, Hera Maria, miserere ancillarum tuarum; neque enim senior nobis superest, aut familiæ princeps, neque pater aut frater, qui coram nobis intret et exeat: sed mulus hic, quem vides, frater noster fuit, quem mulieres fascino talem, qualem cernis, effecerunt. Te igitur rogamus, ut nostrum miserearis. Tunc sortem illarum dolens Domina Maria sublatum Dominum Jesum dorso muli imponit; et flebat ipsa pariter atque mulieres illæ; et Jesu Christo, Heus, inquit, mi fili, sana hunc mulum eximia tua potentia, et fac eum hominem ratione præditum, qualis antea fuit. Vix egressa erat vox ex ore Dominæ Heræ Mariæ, quum immutatus subito mulus, in formam humanam transiret, ac vir juvenis et ab omni labe integer evaderet. Tunc ipse, ac mater ejus et sorores Dominam Heram Mariam adorabant, ac puerum super capita sua elatum osculabantur, dicentes: Beata est genitrix tu, O Jesu, O Servator mundi! beati sunt oculi, qui felicitate aspectus tui fruuntur.

CAP. XXII.

Dicebant porro ambæ sorores matri suæ: Equidem frater noster auxilio Domini Jesu Christi, et benedictione puellæ istius, quæ Mariæ et filii ejus indicium nobis fecit, in pristinam formam restitutus est. Nunc

igitur, quum frater noster sit cœlebs, convenit ut puellam hanc, famulam illorum, nuptum ipsi demus. Hoc quum ab Hera Maria petiissent, ipsaque annuisset illis, splendidas huic puellæ nuptias paraverunt; et mœrore in lætitiam, planctuque in risum commutato, gaudere, lætari, exsultare et canere cœperunt, ob excessum lætitiæ splendidissimis vestibus et monilibus ornatæ. Deinde Deum commemorantes et laudantes, dicebant: O Jesu, fili Davidis, qui mœrorem in lætitiam et lamenta in risum convertis! Manseruntque ibi Josephus et Maria decem dies. Deinde profecti sunt, magnis honoribus ab hisce hominibus affecti; qui, quum illis valedixissent, et a valedicendo revertissent, flebant, et præ cæteris puella.

CAP. XXIII.

Hinc digressi quum in terram desertam pervenissent, eamque latrociniis infestam esse audirent, Josephus et Hera Maria regionem hanc noctu trajicere parabant. At inter eundum, ecce! duos in via latrones conspiciunt dormientes, et cum illis multitudinem latronum, qui illorum socii erant, itidem stertentium. Erantque duo isti latrones, in quos incidebant, Titus et Dumachus, dicebatque Titus Dumacho: Rogo te, ut istos libere sinas abire, ne socii nostri illos animadvertant. Recusante autem Dumacho, rursus Titus, Cape tibi, inquit, a me quadraginta drachmas, et pignus habe zonam hanc meam. Quam dicto citius illi porrigebat, ut ne hisceret aut loqueretur. Vidensque Domina Hera Maria hunc latronem ipsis benefacere, ait illi: Dominus Deus te dextra sua sustentet, et remissionem peccatorum tibi largietur. Et respondit Dominus Jesus et dixit matri suæ: Post triginta annos, O mater, crucifigent me Judæi Hierosolymis, et duo isti latrones mecum una in crucem tollentur, Titus ad dextram meam, et Dumachus ad sinistram; et ab illo die præcedet me Titus in paradisum. Quumque dixisset illa: Avertat hoc a te Deus, mi fili! abierunt illinc ad urbem idolorum, quæ, postquam illi appropinquassent, in colles arenarum fuit mutata.

CAP. XXIV.

Hinc ad sycomorum illam digressi sunt, quæ hodie Matarea vocatur, et produxit Dominus Jesus fontem in Matarea, in quo Hera Maria tunicam ejus lavit. Ex sudore autem, qui a Domino Jesu ibi defluxit, balsamum in illa regione provenit.

CAP. XXV.

Inde Memphin descenderunt, visoque Pharaone triennium in Ægypto substiterunt, fecitque Dominus Jesus plurima in Ægypto miracula, quæ neque in Evangelio infantiæ, neque in Evangelio perfecto scripta reperiuntur.

CAP. XXVI.

Exacto vero triennio rediit ex Ægypto et reversus est, quumque Judæam

attigissent, timuit Josephus illam intrare; audiens enim decessisse Herodem, et Archelaum filium in locum ejus successisse, metuit et in Judæam abiit; apparuitque illi Angelus Dei, et dixit: O Josephe, abi in urbem Nazareth, atque ibi subsiste. (Mirum sane, gestari sic et circumferri per regiones Dominum regionum!)

CAP. XXVII.

Ingressi deinde urbem Bethlehemum videbant ibi morbos plurimos et difficiles, oculos infantum infestantes, ita ut plerique morerentur. Aderat ibi mulier, ægrotum habens filium quem morti jam vicinum ad Dominam Heram Mariam adduxit; quæ, quum Jesum Christum lavaret, illam conspexit. Dicebat vero mulier ista: O Domina mea Maria, respice filium hunc meum, qui diris cruciatibus torquetur. Et exaudiens illam Hera Maria, Cape, inquit, aliquantum istius aquæ, qua filium meum ablui, eaque illum consperge. Accipiens ergo illa paululum de ista aqua, prout jusserat Hera Maria, illa filium suum perfudit, qui vehementi agitatione lassatus in soporem lapsus est, et, quum paululum dormiisset, salvus postea et sanus evigilavit. Mater hoc eventu admodum læta, Heram Mariam rursus adibat, dicebatque illi Hera Maria: Gratias age Deo, qui filium hunc tuum sanavit.

CAP. XXVIII.

Erat ibidem alia mulier, vicina ejus, cujus modo filius sanatus erat. Hujus filius, quum eodem morbo laboraret, jamque fere clausi essent ejus oculi, dies noctesque ejulabat. Huic sanati infantis genitrix, Quare, inquit, non defers filium tuum ad Heram Mariam, sicuti ego filium meum ad illam detuli, quum in agone mortis versaretur? qui sanatus est aqua illa, qua corpus Jesu filii ejus ablutum fuerat. Quæ quum ex ea audivisset mulier ista, ipsa quoque abiit, sumtaque eadem aqua, filium suum abluit, cujus extemplo corpus et oculi ad sanitatem pristinam redierunt. Hanc quoque Hera Maria, quum filium suum ad ipsam detulisset, ejusque casum ipsi aperuisset, gratias Deo, pro recuperata filii valitudine, agere, neque cuiquam, quod evenerat, narrare jussit.

CAP. XXIX.

Erant in eadem urbe duæ fœminæ, unius viri uxores, quarum utrique erat filius ægrotus. Harum altera Maria vocabatur, et filio ejus Kaljufo erat nomen. Surgebat ista, et adsumto filio suo Dominam Heram Mariam matrem Jesu adibat, oblatoque ei perpulchro mantili, O Domina mea Maria, inquit, accipe a me hoc mantile, et pro illo fasciolam unam mihi redde. Faciebat hoc Maria, abiensque mater Kaljufi confectam ex illa tunicam filio suo induebat. Sic sanatus est morbus ejus, at filius rivalis diem obiit. Hinc orto inter illas dissidio, quum alternis hebdomadibus munia domestica obirent, adessentque vices Mariæ matris Kaljufi, hæc panem coctura fur-

num calefaciebat, et farinam petitura, filio suo Kaljufo ad furnum relicto, foras prodibat. Hunc æmula ejus, solum conspicata (furnus autem succenso igne æstuabat) prehendit et in furnum conjecit, ac sese inde subduxit. Rediens Maria, vidensque filium suum Kaljufum, in medio furno jacentem, ridere, furnumque refriguisse, ac si nihil in eum ignis conjectum foret; cognovit æmulam suam illum in ignem immisisse. Extractum ergo eum ad Heram Dominam Mariam detulit, eidemque casum ejus narravit. Cui illa, Tace, inquit, nam metuo tibi, si ista divulgaveris. Postea æmula ejus aquam haustura ad puteum processit, et conspicata Kaljufum juxta puteum ludentem, neque quemquam mortalium adesse, prehensum illum in puteum deturbavit. Quumque homines aquam ex puteo petituri accessissent, videbant puerum istum in superficie aquæ sedentem, quem demissis funibus extrahebant. Ceperatque eos magna admiratio istius pueri, ita ut Deum celebrarent. Accedens vero mater ejus sublatum illum ad Dominam Heram Mariam detulit, plorans et dicens: O Domina mea, vide, quid æmula mea filio meo fecerit, et quomodo in puteum illum deturbaverit; neque dubium mihi est, quin aliquando exitii causa ipsi sit futura. Inquit illi Hera Maria: Deus injuriam tibi factam vindicabit. Paucis diebus interjectis, quum aquam haustura ad puteum æmula processisset, pedes ejus funi implicabantur, ita ut præceps in puteum decideret; quique ad auxilium ipsi ferendum accurrerant, caput ejus fractum et ossa contusa inveniebant. Sic malo fato periit, et impletum in ea fuit dictum illud auctoris, Puteum foderunt, et alte humum egesserunt; sed ceciderunt in foveam, quam paraverant.

CAP. XXX.

Alia illic mulier geminos habebat filios, morbo pariter languentes, defunctoque altero, alter quoque in vicinia mortis versabatur; quem in ulnas susceptum ad Dominam Heram Mariam, vim lachrymarum effundens, detulit, et, O Domina mea, inquit, opem mihi fer et succurre; nam duos habui filios, quorum alterum modo sepelivi, alterum vero in vicinia mortis constitutum cerno. Vide, quomodo gratiam a Deo petam, eumque supplex rogem. Cœpitque dicere: O Domine, tu es clemens et misericors et pius! duos mihi dedisti filios, quorum alterum quum ad te receperis, hunc saltem mihi relinque. Hera itaque Maria, ardorem lachrymarum ejus conspiciens, miserta est ejus, et, Heus tu, ait, filium tuum in lecto filii mei colloca, ejusque vestibus ipsum contege. Quumque collocasset eum in lecto in quo Christus jacebat, (modo autem oculi ejus in æternam noctem claudebantur) simulatque odor vestium Domini Jesu Christi puerum hunc contigit, oculi ejus aperiebantur, magnaque voce matrem inclamans panem poscebat, eumque acceptum sugebat. Tunc mater ejus, O Domina Maria, inquit, nunc cognovi virtutem Dei in te habitare, adeo ut filius tuus sanet

pueros, ejusdem cum ipso naturæ participes, simulatque vestes ejus attigerunt. Hic puer, ista ratione sanatus, is est, qui in Evangelio Bartholomæus vocatur.

CAP. XXXI.

Erat porro ibi mulier leprosa, quæ adiens Dominam Heram Mariam matrem Jesu, dicebat: Domina mea, juva me. Respondebat vero Hera Maria: Ecquodnam auxilium petis? aurumne, an argentum, an ut corpus tuum a lepra mundetur? Quis autem, rogabat mulier ista, hoc mihi dare posset? Cui Hera Maria, Paululum, inquit, exspecta, donec filium meum Jesum laverim et in lecto reposuerim. Expectabat mulier, prout jussa erat, et Maria, quum Jesum in lecto collocasset, aquam, qua corpus ejus abluerat, mulieri porrigens, Cape, inquit, aliquantum istius aquæ, et in corpus tuum effunde. Quod quum fecisset, ex tempore mundata Deum celebrabat, et grates ipsi agebat.

CAP. XXXII.

Abiit ergo, postquam triduum apud illam mansisset, et in urbem perveniens vidit ibi virum principem, qui alterius principis filiam duxerat uxorem: sed quum vidisset mulierem, conspexit inter oculos ejus signa lepræ, stellæ instar; adeoque matrimonium dissolutum et irritum declaratum fuerat. Has mulier ista in eo statu conspicata, mœstas admodum et fletu largo ora rigantes, causam ex illis lachrymarum quærebat. At illæ, Ne, inquiunt, in statum nostrum inquirito; malum enim nostrum nulli mortalium narrare, aut alieno cuiquam aperire possumus. Instabat tamen illa, utque illud sibi committerent, rogabat; sese enim fortasse remedium ejus commonstraturam. Quum ergo monstrarent ipsi puellam et signa lepræ, quæ inter ejus oculos apparebant, Ego quoque, inquit mulier, quam hic videtis, eodem morbo laboravi, et Bethlehemum negotiorum causa profecta sum. Ibi speluncam quandam ingressa, mulierem nomine Mariam vidi, cui filius erat, qui Jesus vocabatur; hæc, leprosam me videns, indoluit, aquamque, qua filii sui corpus laverat, mihi porrexit. Ea corpus meum perfudi, et munda evasi. Dicebant ergo fœminæ illæ: Numquid, O Domina, surges, et nobiscum proficiscens Dominam Heram Mariam nobis commonstrabis? Annuente illa surrexerunt, et ad Dominam Heram Mariam pervenerunt, splendida secum munera ferentes. Quumque intrassent, et munera illa ipsi obtulissent, puellam istam leprosam, quam adduxerant, ipsi monstrabant. Dicebat ergo Hera Maria: Misericordia Domini Jesu Christi habitet super vos. Et paululum aquæ illius, qua corpus Jesu Christi abluerat, illis porrigens, hac miseram lavare jubebat. Quod quum fecissent, extemplo sanata est, ipsique et omnes adstantes Deum celebrabant. Læti ergo et in urbem suam reduces Domino propterea laudes canebant. Audiens vero princeps sanatam esse uxorem suam, domum

illam recipiebat, et, secundas nuptias celebrans, pro recuperata uxoris sanitate grates Deo agebat.

CAP. XXXIII.

Erat quoque ibi puella, quæ a Satana affligebatur; maledictus enim iste forma ingentis draconis subinde illi apparebat eamque deglutire cupiebat, omnem quoque ejus sanguinem exsuxerat, ita ut cadaveri similis remaneret. Ipsa ergo, quotiescunque ad illam accederet, manibus super capite constrictis, vociferabatur et dicebat: Væ, væ mihi! quod nemo adest, qui a pessimo isto dracone me liberet. Pater autem et mater ejus, et omnes qui circa ipsam erant, aut ipsam videbant, contristabantur super illa et flebant, omnesque, qui aderant, flebant et lamentabantur, præsertim quum ploraret ipsa et diceret: O fratres mei et amici, nemone est, qui ab homicida isto me liberet? Filia vero principis, quæ a lepra sua mundata fuerat, audiens vocem puellæ istius, adscendit in castelli sui tectum, viditque illam manibus super capite complicatis fletus largos edentem, totumque circumstantium cœtum pariter plorantem. Rogabat itaque maritum istius obsessæ, viver etne mater uxoris ipsius? Qui quum utrumque ejus parentem vivere dixisset, Matrem ejus, inquit illa, ad me mitte. Quam ut venisse vidit, Hæccine, inquit, obsessa filia tua est? Ita, inquit illa tristis et plorans; ex me, O Domina, est genita. Respondebat filia principis: Occulta secretum meum; nam fateor tibi, me fuisse leprosam: sed mundavit me Domina Maria, mater Jesu Christi. Quod si filiam tuam sanitati pristinæ restitui desideras, Bethlehemum illam abducens Mariam matrem Jesu require, et filiam tuam sanatum iri confide; credo enim te, sanata filia, lætam reversuram. Statim ab extrema parte verbi surrexit illa, et cum filia sua ad locum designatum profecta, Dominam Heram Mariam adiit, eique filiæ suæ statum aperuit. Audita oratione ejus Hera Maria obtulit illi paululum aquæ illius, qua corpus filii sui Jesu abluerat, idque in corpus filiæ effundere jussit. Data quoque ipsi fasciola ex panniculis Domini Jesu, Cape, inquit, hanc fasciolam, eamque hosti tuo, quotiescunque illum videris, ostende; et in pace illas dimisit.

CAP. XXXIV.

Quum ergo digressæ ab illa in civitatem suam rediissent, adessetque tempus, quo Satanas iste percellere eam solebat, eadem hora apparuit illi hic maledictus sub forma ingentis draconis, eumque videns puella expavit. Cui mater: Abjice timorem, O filia, et sine illum, donec propius ad te accesserit; tum fasciolam, quam dedit nobis Domina Maria, ipsi obverte, et quid futurum sit, videamus. Accedente itaque Satana isto, qui draconem terribilem referebat, corpus puellæ præ timore inhorruit; sed simulatque

fasciolam istam capiti suo superimpositam et oculis obvolutam, ostenderet, exibant ex fasciola flammæ et prunæ ignis, atque in draconem spargebantur. Hem! quantum hoc miraculum, quod accidebat, simulatque draco fasciolam Domini Jesu adspiceret! exibat enim ignis, et in caput ejus atque oculos spargebatur, ita ut magna voce exclamaret: Quid mihi tecum est, O Jesu, fili Mariæ? quo a te fugiam? ac territus admodum et retrocedens puellam relinqueret, neque unquam postea illi appareret. Sic puellæ huic negotium facessere desiit, quæ grates Deo et laudes canebat, et cum ipsa omnes, qui miraculo isti præsentes affuerant.

CAP. XXXV.

Alia ibidem mulier degebat, cujus filius a Satana vexabatur. Hic, Judas nomine, quotiescunque Satanas iste illum corripiebat, quosvis præsentes dentibus appetebat, ac, si neminem juxta se inveniret, suas ipse manus et cætera membra morsu vexabat. Audiens ergo mater hujus miseri famam Heræ Mariæ et filii ejus Jesu, surrexit propere, ac filium suum Judam in ulnas sublatum ad Dominam Mariam detulit. Interim Jacobus et Joses commodum Dominum Jesum infantem abduxerant, ut cum cæteris infantibus colluderent; ac domo egressi consederant, et cum illis Dominus Jesus. Accedebat vero Judas obsessus, et ad dextram Jesu assidens, quum agitaret eum pro consuetudine sua Satanas, dentibus Dominum Jesum appetebat, et, quoniam attingere non poterat, latus ipsius dextrum percutiebat, ita ut Jesus ploraret. Eademque hora fugiens exivit ex puero isto Satanas, cani rabido similis. Hic autem puer, qui Jesum percussit, et ex quo Satanas sub forma canis exivit, fuit Judas Ischariotes, qui illum Judæis prodidit; et idem ejus latus, in quo percusserat illum Judas, Judæi lancea confixerunt.

CAP. XXXVI.

Quum vero Dominus Jesus septimum a nativitate sua annum complevisset, die quodam cum aliis pueris, sodalibus suis coætaneis, versabatur, qui ludentes varias ex luto formas fingebant, asinos, boves, volucres, et alia his similia, et unusquisque suum jactans opus super cæterorum plasmata efferre conabatur. Tunc Dominus Jesus dicebat pueris: Ego illis, quas feci, figuris præcipiam ut incedant. Rogantibus vero pueris, numquid ipse creatoris esset filius? præcipiebat illis Dominus Jesus ut incederent; eademque hora subsiliebant, et, quum reverti illas juberet, revertebantur. Fecerat autem avium passerumque figuras, quæ, quum volare ipsas juberet volabant, et quum stare juberentur, consistebant; quod si cibum et potum illis porrigeret, edebant et bibebant. Quum deinde abiissent pueri, et parentibus ista suis retulissent, dicebant illis patres ipsorum: Cavete in

posterum, O filii, a consortio ejus, quoniam veneficus est; fugite illum et vitate; neque ab hoc momento unquam cum ipso colludite.

CAP. XXXVII.

Quodam etiam die Dominus Jesus cum pueris ludens et discurrens, officinam tinctoris præteribat, cujus nomen erat Salem; erantque in officina ejus panni plurimi civium illius urbis, quos variis coloribus imbuere parabat. Ingressus vero Dominus Jesus officinam tinctoris, pannos hosce universos sustulit, et in cortinam tinctoriam conjecit. Rediens Salem, pannosque perditos cernens, voce maxima exclamare cœpit, et Dominum Jesum objurgare, dicens: Quid fecisti mihi, O fili Mariæ? et me, et cives meos injuria affecisti; quilibet enim commodum sibi colorem expetit, tu vero adveniens omnia, perdidisti. Respondebat Dominus Jesus: Cujuscunque panni colorem mutare volueris, hunc ego tibi immutabo, statimque pannos ex cortina producere cœpit, singulos illo colore imbutos, quem tinctor desiderabat, donec omnes eduxisset. Hoc prodigium atque miraculum videntes Judæi Deum celebrabant.

CAP. XXXVIII.

Josephus autem per totam urbem circumiens Dominum Jesum secum ducebat, quum propter artificium ejus homines illum accerserent, ut portas ipsis, aut mulctralia, aut cribra, aut arcas conficeret; eratque cum ipso Dominus Jesus, quocunque proficisceretur. Quotiescunque ergo Josepho aliquid operis sui longius aut brevius, latius vel angustius faciendum esset, Dominus Jesus manum suam versus illud extendebat, ac statim, prout vellet Josephus, res succedebat; ita ut opus non esset ipsi quidquam manu sua perficere, quia nec admodum peritus erat artis fabrilis.

CAP. XXXIX.

